

DISSERTATIO SOLEMNIS
DE
VIRTUTIBVS
INTELLECTUALIBVS
PHILOSOPHIAE RATIONALI
VINDICANDIS,

QVAM
EX DECRETO AMPLISSIMI ORDINIS
PHILOSOPHORVM

PRAESIDE

DN. IO. FRIDEMANN SCHNEIDERO
PHILOSOPHIAE ET IVRIS VTRIVSQUE DOCTORE, POTEN-
TISSIMI BORUSSIAE REGIS CONSILIARIO AVLICO, PRO-
FESSORE PVBLICO ET HOC TEMPORE
ORDINIS SVI DECANO

PATRONO AC PROMOTORE SVO OMNI
OBSERVANTIAE CVLTV AETATEM PROSEQVENDO
IN CELEBERRIMA ACADEMIA
FRIDERICIANA

A. O. R. MDCCXX. D. VIII. NOVEMBR.

PRO SVMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBVS AC
PRIVILEGIIS CONSEQVENDIS

MODESTO ERVDITORVM EXAMINI
SVBIICIT

IOANNES THEODORVS HIPPIVS
HALENSIS, SS. THEOLOGIAE C.

HALAE MAGDEBVRGICAE, a. CV. 53

TYPIS IOANNIS GRVNERI, ACADEM. TYPOGR.

ll. diss. A
2006, 53

DISSECTATIO DE SOMNIO

VIRI TVTIVS

INTELLEOTVALENTIA

PHILOSOPHIAE RATIONALES
METHODO

DE SOMNIO

DE JO. FRIEDRICH SCHNEIDER



PROFESSOR AT THE UNIVERSITY OF LEIPZIG

IN CELLERIA ACADEMIA

PHILOSOPHIAE

PRO SOMNIO IN PHILOSOPHIA HONORIBUS

PHILOSOPHIAE

DE SOMNIO

DE SOMNIO

DE SOMNIO



B. C. D.
DISSERTATIONIS
DE
VIRTUTIBVS INTELLECTV-
ALIBVS LOGICAE VIN-
DICANDIS,
PRAEFATIO.



Non erit, quod *erroris* dicam ali-
quis mihi scribere ausit, reductu-
ro, quoad fieri potest, exules in
patriam suam. Quo nomine indi-
gito *virtutes*, quæ *intellectum* hu-
manum ornant ac perficiunt. A
Logicæ finibus istæ depulsæ fuerunt,
exilioque multatæ, sede sua huc
usque caruerunt. *Maiore* artis huius, vt quisque Philo-
sophorum adsequitur, *decremento*, quam *augmento*. Ste-
rili hoc *virtutum*, *foecundo errorum* sæculo, id accidisse,
merito putandum est. Cum tamen intersit *Logicæ* inter-
pretum, ut ad pristinam sedem ab exilio revocentur.
Alias credo futurum, quæ multis sordet, vt vel parte hac
A *Logica*

Logica otiosa (a) esse videatur. Lolio interim admodum infelici tam *præiudiciorum*, quam *fallaciarum*, ac *errorum* exinde ortorum, in illarum loco succrescente. Neque ignoro, quot quot in *argumento* hoc a me usquam dissentientes offendi Philosophos, nihilominus in eo consentire, *Logicam* esse doctrinam, de *intellectu humano* agentem. Sed interpretationem huius instituenti minime sufficit, *humani intellectus* exhibere *facultates*, earumque rimari *vires*, & cum cura indagare atque recensere *operationes*. Nam iis cognoscendis intento *vitia* se se offerunt, quæ si non penitus deminuunt, aut tollunt, saltem laudatas modo *intellectus humani facultates*, *vires* ac *operationes* suspendunt. Cum vero in omnium *experientia* versentur, eo minus dissimulari possunt, quo frequentius animadvertitur, nec *magna ingenia* ab eis libera fore (b). Et sane hac dissimulatione *remedia vitiorum* potius, quam ipsa *vitia* reiiciuntur. Confitenti enim consultantique *intellectus humani* æstimatori spes viresque ostendi queunt, ut ab illis, quibus premitur *vitiis*, se liberet purgetque. *Principiis* igitur *obstare mali*, omnino convenit: at, hæerere *in principiis boni*, non licet: utrobique philosophiæ rationalis cultori altius progrediendum est. Equidem in *principia mali* ac *falsi* ideo cum animi sollicitudine inquirendum erit, ut velut *in radice sua* *intellectus humani vitia* suffocentur. In *boni* autem *verique principiis* non subsistendum, sed iis cognitis ita utendum, ut *virtutes intellectui* & adquirantur & conferventur. Atque hic usus *remediorum* est, quæ *Logica* cultoribus suis præscripsit. Scilicet eorum ope non *vitia* modo expellant, sed iisdem expulsi etiam ad producendas *in intellectu virtutes* conducant. Medicos imitentur, quibus cordi est, non magis pro tollendo *morbo*, quam pro *sanitate* tuenda operam navare suam. Quorum vestigia secutos nunquam facti sui poenitebit, tametsi in sola *intellectus* medicina occupentur. Neque enim *vires* eius nimium extollent, ut sanis Philosopho,

sopho, tamquam medico, opus esse non videatur. Neque de emendandis intellectus humani vitiis (c) spem omnem abiicient, cum parata iis remedia fore, probe intelligant. Media, eaque tutissima hactenus incedentes via, ad veras virtutes intellectuales pervenient. Quæ causa etiam me permovit, ut hoc dissertationis solemnis eligeretur argumentum. Utilitas enim eius per universum artium ambitum, quæ sive a Philosophis, sive ab aliis colantur, se se diffundit. In præsentis vero ad certos redigendum erit limites, ne omnes, sed præcipue saltim, virtutes intellectuales attingantur. Ordinis huius filo ducente, ut de virtutibus intellectualibus in genere cap. I. agatur, progressu ad earum species instituto (d), quo nominatim de scientia cap. II. de opinione cap. III. de fide cap. IV. & de captivatione rationis cap. V. quæ necessaria cognitu visa sunt, brevibus exponantur. Est namque, quod verear, si nimium liberalis sim tam temporis, quam propositi mei erogator, ut finem, quem intendi, consequi possim. Igitur fontes aperiam, tales quidem, quales deducendis rivulis inserviant. Faxit DEUS, intellectus nostri autor, ut, quæ in medium proferentur, in nominis sui gloriam cedant, reique literariæ incrementum.

(a) Faciem Logicæ otiosæ dudum vivis depinxit coloribus DN. Præses in Disput. de Logica non otiosa cap. I. §. 7-17. ut operæ pretium perderem, si ad eam rursus me convertere velim. Cum vero nomine hoc se suspectam reddiderit Logica sectaria, mihi, de virtutibus intellectualibus acturo, nemo vertet vitio si ex eadem erroris occasionem accersere, pro viribus meis contendam. In ceteris enim parum mea refert, quid Aristoteles de his virtutibus statuerit: quas vetus aut nova Platonis Academia receperit: quo censu sapientes de porticu illas habuerint: qui denique factum fuerit, ut Epicurus in Canonica sua non paullo distinctius ipsas tradiderit. Cum hac in parte Hugoni Grotio in Epist. XXVI. ad Gallos adsentiri libeat, ita scribenti: *Rationis est prospicere, non respicere.*

(b) Quod Germani nostri perpendentes, recte dixerunt: Daß ein grosser Mann keine schlechte Thorheit begehe. Licet enim hanc de

actu magis, quam de *habitu* Philosophi capiant sententiam; nihilominus satis superque *vitia* indicant, quæ *intellectui humano* adhærent, a viris emendatis *impediri*, non penitus *extirpari* posse. Neque igitur sola ætate Senecæ, sed nostra etiam verum est, quod in *lib. de Tranquillit. Anim. cap. XV.* censuit: *nullum magnum ingenium sine mixtura dementiæ fuisse.* Adeo mortalium nullus est, quin *errorem suum* patiatur. Sed ah! ut eum eligat, aut adprobet. Minus ergo circumspecte Iustus Lipsius in *cent. II. epist. VII.* adseruit, *sapientiæ partem esse, leviter despere.* Et si *Satyrico ingenio* id convenire putem, *ioculari cavillatione* delectari ac se ridentem aliis propinare; viro tamen sobrio & arduis rebus intento plane indignum erit, *quærendæ famæ causa* desipuisse. Inter recentiores pluribus de studiis *ingenii Satyrici* tractavit, nobilis ille Scotus, Georgius Mackenzei in *lib. de Imbecillitate humane ratiocinationis P. II. circ. fin.*

(c) Multa ac varia hæc esse *intellectus humani vitia* ut alibi, ita potissimum recensuit D. Præses in *Disp. de credulitate cap. I. §. III.* Quorum *emendationem* Logica more modoque *naturali* non promittit tantum, sed revera etiam præstat. Sic definitioni *veram*, divisioni *variã*, demonstrationi *certam*, methodo *congruam & ordinatam*, meditationi *copiosam*, interpretationi *perspicuam*, ac disputationi *liberam* a dubiis non minus, quam erroribus, *cognitionem rerum* debemus. Eat quis quis est superbus Logicæ contemtor, perfricet frontem suam, statuatque illam *intellectus humani correctioni* hanc inservire. Vereor, ne disciplinæ huius neglectu sibi accidat, ut quod *scire* videtur, ipse *nesciat.*

(d) Non permittit amplitudo huius *argumenti*, ut ad omnes ac singulas *virtutes*, quas *intellectuales* vocant, excurram. Ceteroquin de *intelligentia, sapientia, solertia* aliisque dicturo, citius mihi tempus, quam dicendi copia deficiet, Alii itaque *occasione*, quæ propediem se se offeret, istæ destinantur. Jam sponte mores mihi exprimere licet, quæ non omnem mundum suum protinus exponit sponso, sed venustatem tegit venustate, & semper aliquid cogitandum relinquit,

CAP.

CAP. I.

DE
VIRTUTIBVS INTELLECTVALIBVS
IN GENERE.

SUMMA.

Virtutes intellectuales Logice vindicandas esse probatur

1) a subiecto, quod intellectus est, secundum immediatas facultates suas spectatus, not. (a)

2) ab obiecto, quod tam in vero, quam verosimili reperitur, cui divisioni necessaria limitatio adiecta est. n. (b)

3) a mediis, quorum fit enarratio & applicatio, una eum iudicio de vera inductione ad mentem Verulamii, & de captivandæ rationis necessitate contra sciolos n. (d) (e). §. I.

Falsa hypothesis tam Platoniorum, quam Aristotelicorum, indicatur: ut illi obtentu ideæ boni, hi S. boni theoretici respectu ad Ethicam reduxerint virtutes intellectuales, quarum utraque refutatur. §. II.

De idea Platonis remissive agitur. n. (f).

Summum bonum theoreticum Aristotelem defendisse, ostenditur partim ex theoretico vitæ genere, partim ex virtute contemplativa quam commendat. Ab eo dissentiens Thomas de Aquino laudatur. Num sapientia virtus sit practica, an contemplativa disquiritur? prior eligitur, posterior reiicitur, propter emendationis ordinem, quem a voluntate inchoare convenit. n. (g) (h).

Definitio virtutum intellectualium adfertur §. III.

Perfectiones esse dicuntur non absolute, sed comparate, cuius duplex causa indicatur: una a conditione finiti intellectus humani, altera a superveniente corruptione n. (i).

Et ipsa experientia comprobante illustratur. (k).

De convenientia virtutum intellectualium non minus, quam differentia 1) quoad gradus perficiendi intellectum 2)

A 3

quoad

quoad modum probandi res
cognitas tractatur §. IV.

Habitus quoque esse has
virtutes cum ex definitione,
tum ex characteribus veris
cuiusque habitus constat. n. (l).

Principia probandi divi-
duntur & iuxta naturæ &
doctrinæ ordinem coniungun-
tur. Unde duo nœvi Logicæ
a Philosopho vitari possunt:
quorum prior de iudicio sine
experientia in Logica Scholasti-
corum; posterior de experien-
tia sine iudicio in Logica na-
turali Empiricorum. Atque
horum examen illustratur no-

vissima opinione Medici ac
Philosophi Galli D. Astrucii
de exercitio iudicii sequente
cerebri humani mechanis-
mum. n. (m).

Methodus virtutum intel-
lectualium inserta, & secun-
dum partes suas digesta fuit
§. V.

Inventio & usus mediorum,
pro fine consequendo distin-
guere sapientem ab insipiente
demonstratur mediorum 1)
qualitate 2) utendi modo.
Adplicatur hæc admonitio ad
virtutes intellectuales, iuncta
D. Conringii sententia n. (n).

§. I.

Confusos mihi philosophiæ fines regenti, necesse
erit ante omnia prospicere, ut virtutes intelle-
ctuales non Ethicæ in posterum relinquuntur,
sed ad Logicam suam denuo reducantur. Miserea-
mur exulum, ne patria extorres, in alia disciplina extre-
mum locum amplius occupare iubeantur. Etenim in in-
tellectu figunt sedem suam (a) cuius considerationem nun-
quam non Logica sibi vindicat. Ut ergo virtutes morales
Ethicæ, ita intellectuales Logicæ merito tribuuntur, omif-
sæque a veteribus Philosophis restituantur. In primis
cum versentur circa verum, aut verosimili (b) quod licet
aliarum quoque artium proprium esse videatur; singulari
tamen ratione Logica competit. Scilicet ea, quæ modum
utriusque inveniendi, discernendi, probandi ac defendendi
aperit

aperit atque commonstrat. Sed adquireta circa hunc modum promptitudo, recte *virtus intellectualis* adpellatur. Neque *media*, quæ comparandis *virtutibus intellectualibus* inferviunt, in alia Philosophiæ parte melius, quam in *Logica* præscribuntur. *Logica* enim est, quæ *inductionem* (c) pro rerum *notitia* commendat: *demonstrationes* invenit, quæ *scientiam* gignunt; tot vias *verosimilitudinis* pandit, quot conciliandæ *opinionis* sufficiunt: in *testium personis* ac *dictis* selectum instituit, ut *fidem* producat: denique in eis quæ *rationem*, aut *statum* nostrum superare noscuntur, *iudicium* compescit, unde *captivatio rationis* emergit, multis quidem (e) *exosa*, omnibus vero *necessaria* virtus: Quibus ita se habentibus, satis abundeque constat, *virtutes intellectuales* *Logicæ* vindicandas esse.

(a) *Facultatibus* quoque *intellectus humani* respondent istæ *virtutes*, præsertim iis, quæ *immediatæ* vocantur. Sic *ingenio* convenire putatur *opinio*, *scientia* & *captivatio rationis iudicio*, *memoria* cum *fide* conspirat. De aliis *virtutibus*, quarum mentio facta est in *Præfat. not. (d)*, quæ uti seorsim vel coniunctim eisdem *facultatibus* indigent, tempore suo D. Præses latius differet.

(b) Est enim *verum in cognoscendo* duplex, vel *certo verum*, vel *verosimile*. Ideo adieci hanc limitationem, cum *verosimile in se*, & secundum *essentiam*, non detur, sed tantum *respectu intellectus nostri*, qui ubi in rerum *naturam* penetrare nequit, saltim *externas*, magis tamen *communes*, quam *proprias* earum *circumstantias* adprehendit, e quibus aliquam *veri* elicit *similitudinem*. Atque hinc evenire solet, quod Epictetus, prudentissimus Philosophorum, ævo suo inculcavit in *Enchirid. cap. X.* Ταράσσει τὴς ἀνθρώπου, ἢ τὰ πράγματα; ἀλλὰ τὰ περὶ τῶν πραγμάτων δόγματα.

(c) *Inductio* non intelligitur ea, quæ alias apud *Logicos* usu venit. Puerile quiddam sapere videtur, cum per *simplicem* procedat *singularium enumerationem*. At *vera inductio* est, quæ a *singularibus observationibus*, *debite expensis*, gradatim progreditur, donec ad ipsa rerum *principia* evehatur. In quo *inveniendæ veritatis modo* plane consentio cum *Bacone Verulamio* in *Nov. Org. p. 4.* hunc *Logicæ usum* præstruente, ut ope eius *inveniantur non argumento, sed artes: nec principiis consentanea, sed*

sed ipsa principia: nec rationes probabiles, sed designationes & indicationes operum.

(d) Ut *demonstratio*, inter media comparanda *scientia*, paullo inferior refertur *cap. II. §. V.* ita *varia*, ad *verisimilitudinem* ducentes, *via* ostenduntur *Cap. III. §. V.* Quas hic enumerare, erit laborem sibi geminare.

(e) Maxime *sciolis*, qui *scire* omnia sibi aliisque persuadere conantur. Quorum inanes *sciendi* conatus tam *scientia* in semetipso *refleca*, quam quottidiana *experientia* probe confutat. Singulis ergo *scientia* cupidis *modestia* Lactantii commendata sit, quem in *Lib. III. Div. Instit. cap. 6.* prodidit memoria. Nemo, ait, *se omnia scire putet, quod DEI est: neque omnia nescire, quod peculis est: Est enim aliquod medium, nempe scientia cum ignorantia coniuncta.* Conf. D. Præsid. *Dissert. de adfectata mortalium omniscientia.*

§. II.

Ab hac autem sententia, semel defensa, me sive Platonici, sive Aristotelici avocare nequeunt. Iactent illi *ideam boni*, & hi *summum bonum in theoreticum & practicum* dividant. Adeo dulci tamen persuasione a me non impetrabunt, ut *virtutes intellectuales*, quas *Logica* adserui, denuo *Ethica* inferendas esse, sustineam. Quare interesse mea censui, ut *πρώτον ψέωδ*, quod utraque Secta in hoc *virtutum* genere commisit, pro instituti mei ratione refutare. Nam *idea boni*, quam Platonici *virtutibus intellectualibus* in *Ethica* præstruxerunt, loco *fundamenti*, si non *conficta* minimum *obscura nimis atque ambigua* est (f). Intellexerunt ergo ista *boni idea* vel *DEum* ipsiusque *intellectum*, cuncta sibi repræsentantem, vel aliquid a *DEo distinctum*. Si prius *virtutes intellectuales* erunt *DEi* perfectiones, quæ neque ad *Ethicam*, neque ad *Logicam*, sed ad *Theologiam naturalem* pertinent, ubi *DEi intellectus* declaratur. Sin posterius Platonici petunt id, quod in principio est, cum de hac *idea boni* maxime controvertatur, an *extra DEum* talis, eaque *universalis* revera detur. Neque Aristotelici *summo bono theoretico* tollunt, sibi obiectam, difficultatem. (g)

Felicem

Felicem non reddit *speculatio*, sed *vite innocentia*. Cum illa *ad vite emendationem* parum, aut nihil, conferre possit, præsertim si circa *res inutiles & absconditas* versetur, quibus *speculabunda ingenia* præ ceteris indulgent. Iam vero *summum bonum*, cuius *fructus* virtutes sunt, *unione sui* emendat ac perficit. Unde Aristotelici, quem vitare voverunt, in eundem errorem incurrunt, ac *ideam boni*, quam ipse Aristoteles reiecit, ita amplectuntur, *bonique theoretici* studiosos ad vanam gloriæ & famæ captationem disponunt (h).

(f) Quæ fuerit Platonis de *ideis*, cum primis vero de *idea boni*, sententia, non est, quod hoc loco operosius expendatur, sed dicta suffecerint. Præterea, quem illius iuvat notitia, videre poterit late diducentes hoc argumentum, ut Francisc. Piccolomineum de *Grad. virtut. Lib. IX. cap. XXIII.* Io. Magirum in *Lib. I. ad Nicomach. Cap. VI.* Donaldsonum in *Phil. Moral. Lib. I. cap. II.* Caselium in *System. Ethic. Disp. I. qu. XV.* Paul. Slevogtium in *Disp. de Universalitate ante rem* & alios quam plurimos.

(g) Aristotelem vero ipsum *summum bonum theoreticum* adferuisse, ab eoque *virtutes intellectuales* deduxisse, multis probari potest documentis. Cum enim hominum genera, circa *summum bonum* inter se disidentium recenseret *Lib. I. Eudem, cap. III. & IV. & Lib. I. ad Nicomach. cap. III.* τὸ θεωρητικὸν aliis prætulit, quod minime fecisset, nisi *summum bonum theoreticum* ivisset adfertum. Deinde maxime observari merentur, quæ de operatione *secundum virtutem perfectissimam*, in qua felicitatem humanam collocat, edissernit. Luculente satis eam ostendit in *Lib. X. ad Nicomach. cap. VII.* esse virtutem *theoreticam* his verbis: Ἡ τῆς ἐνέργεια κατὰ τὴν οἰκείαν ἀρετὴν εἴη ἂν ἡ τελεία εὐδαιμονία ὅτι δ' ἐστὶ θεωρητική. Neque ignorare possunt ii, qui in Philosophi huius scriptis paululum versati sunt, quod ipse inter *virtutes theoreticas* sapientiam numeraverit. *Lib. I. M. M. cap. XXXV.* eamque *virtutis præstantissimæ* nomine indigitaverit. Quantopere autem sectatores suos fefellerit, ex dictis in §. manifestum erit. Quibus accedit, quod *contemplatione*, quis abuti possit, non æque *virtute*: nedum *sapientia*, quæ efficaci cognitione veri boni absolvitur, ideoque κατ' ἀνδρωπον disputando *practica*, non *theoretica* virtus est. Unde errorem hunc prævi-

prævidens, alias deditissimus Aristoteli doctor Scholasticus, Thomas de Aquino in 1. 2. qu. 3. art. 6. ab eodem defecit, censuitque pessimos speculari posse optime. Immo Aristotelem ipsum hac in parte sibi non constare, liquet ex Lib. I. ad Nicomach. Cap. III. inquentem: τὸ τέλος ἐστὶν ἡ γνώσις, ἀλλὰ προῆξις. Sed pagani ita evenit Philosophis, quod Seneca de reliquis hominibus diffiteri non potuit in lib. de vit. beat. cap. I. Vivere omnes beate volunt, sed ad providendum, quid sit, quod beatam vitam efficiat, caligant. Cum ergo totius Philosophiæ finis sit emendatio humanæ naturæ, illud pro vero bono summo reputandum est, quod voluntatem humanam emendare potest. Nam voluntas principium est omnium operationum ac passionum, quæ morali imputationi subiiciuntur. Quodsi hæc emendata, actiones omnes ad normam recti diriget, & passiones, tametsi molestas ob spem melioris eventus, sustinebit. Conf. D. Præf. Disp. de Emendatione animæ, non ab intellectu, sed a voluntate inchoanda.

(h) Quam alibi exposuit DN. Præf. in Disp. de Promotionibus per saltum cap. I. §. VIII.

§. III.

Spinis itaque remotis, scopulisque evitatis, in quibus alii propositi sui naufragium fecerunt, definitio virtutum intellectualium succedit. Harum nomine designantur *adquisitæ* (i) intellectus nostri perfectiones (k), quibus verum adprehenditur, diiudicatur, a falso separatur, probatur & applicatur.

(i) Non exclusæ, sed omnino præsuppositæ naturali intellectus humani aptitudine. Pro conditione enim huius virtutis illæ comparantur, ut viribus ingenii pollentes aptiores sint opinioni, ob abundantiam imaginationis: iudicio instructi magis idonei ad scientiam acquirendam, quæ sine selectu, discretivum iudicium exigente in cognoscendis, probandis & applicandis rebus, obtineri nequit: memoriæ tenaces ad dicta testium paullo feliciter retinenda ac reddenda, omnium aptissimi esse videntur. Doctrina igitur non tollit, sed perficit naturam. Neque docentium intentionem, quæ accidit mortalibus, corruptio impedit. Præterquam quod corruptio hæc ad mysterium fidei remittit, in spiritualibus etiam, non æque in naturalibus, animæ humanæ intulit eladem. Si namque in naturalibus non daretur ratio recta, homines

mines *prætextu suæ corruptionis* omnes errores, in Philosophia commissos, excusare possent. Conf. Io. Flendry in *Logic. contract.* Clauberg. §. 168. not. (g) & §. 219. not. h. k. l.

(k) Dum *virtutes intellectuales*. dixi, esse *perfectiones*, non est animus, eas *absolute*, sed tantum *comparate tales* statuisse, ut cum *sensu humanæ imbecillitatis* in intellectu nostro spectentur & exercentur. *Experientia*, tarda quidem, at fida rerum magistra, quemque docet, nunquam homines veritatem tam *perfecte* cognoscere, quin *perfectius* adhuc cognosci possit. Ratio eius occurrit in promptu, quia *intellectus* noster, etsi *rectus per dict.* not. præc. & *amplus* est; tamen *finitus* existit, ut proinde omnium rerum notitiam capere nequeat. Conf. Arnold. Geulinx in *Metaphys. Peripatet. pr. II.* §. 2. & §. 5. Dantur *occulta* quæ coniecturare tantum licet, non tamen semper cum fiducia iuveniendi, ut recte iudicat Seneca *Nat. Q. Lib. VII. Cont. XXIX.* *Taceo mysteria*, aut *arcana status*, in quibus *captivandam esse rationem* paullo post demonstraturus sum.

§. IV.

Etsi *virtutes intellectuales* in eo omnes conveniant, quod *intellectus humani* sunt *perfectiones* (l); nihilominus multum inter se differunt, tum quod ad *gradus perficiendi* intellectus, tum quod ad *modum probandi* res cognitæ attinet. Et sane *probandi principia* (m), a quibus *virtutes* illæ dependent, sunt vel *interna*, vel *externa*. Quorum illa, si *vera & evidentiæ*, ut dubitationem excludant omnem, tunc *scientia* oritur; sin *probabilia & minus evidentiæ*, quæ coniunctam habent oppositi formidinem atque exceptionem, ex iis nascitur *opinio*. Ad *externa principia* spectant *testimonia* tam *DEi*, quam *hominum*, unde in intellectu nostro provenit *fides*, qua cum magnam habet adfinitatem, quæ *captivatio rationis* adpellatur.

(l) Alii *habitus* esse dixerint, quod in singulis *virtutibus proclivitas*, aut *facilitas* quædam agendi, ex repetitis actibus *comparata*, invenitur. Hinc *characteres* quoque *habituum* ab iisdem in præsentia adplicantur, ut *promptitudo* agendi, quod repetitione actuum remota sint impedimenta, quam sequitur *constantia* sive ex parte *subiecti ac possessoris*, sive ex parte *medii* consideretur.

(m) Notandum hic est, alia *probandi principia* esse *res ipsas*, alia *regulas artium*: quorum illa ad *naturæ*, hæc ad *doctrinæ* ordinem propius accedunt. Nam ordo *doctrinæ* non excludit, sed supponit *naturæ* ordinem. Adeo, ut ex diverso *ars*, si quos offendit, *naturæ defectus* suppleat. Philosophi ergo munus est, ad *utrumque ordinem* meditationes suas accomodare. Sic *duos nævos*, *Logicæ doctrinæ* admodum familiares, evitare poterit. Quorum unus *iudicium sine experientia*, neglecto *naturæ* ordine, quod in *Logica Scholastica* animadvertitur. Unde in theoreticis *subtilitas*, in practicis *timiditas* oritur. Alter nævorum est, *experientia sine iudicio*, reiecto *doctrinæ* ordine, quæ in *sola Logica naturali* observatur; ideoque in theoreticis *inertiam*; in practicis parit *temeritatem*. Interim dictis meis lucem adfundere potest, recens illa *opinio*, quam D. Io. Astruc, Medicinæ Professor perquam celebris, in *Monspeliensium Academia* superiore anno (1718.) in se tuendam suscepit. Scilicet quod *iudicii exercitium sive rectum sive corruptum a cerebri mechanismo* dependeat. Minime perpendit, acerrimos *mechanismi* defensores *motus* quidem *corporis animæ directioni* subiicere; non tamen *motus animæ* deducere a *corporis*, cui experientia reclamatur, *directione*: deinde aliam esse *naturalem*, aliam *moralem* corruptionem. Sed altiore hæc indaginem requirit, quam ut levi brachio in præfenti tractari queat.

§. V.

Antequam vero ulterius progrediar, *methodus* quoque aperienda est, secundum quam præcipue *virtutes intellectuales* digeri & pertractari debent. Omnium aptissima hæc esse videtur, ut primo cuiusque *virtutis intellectualis indoles* tradatur, eique opposita *vitia* subiiciantur: deinceps consequendæ eius *media* (n) adferantur: post *impedimenta* monstrantur, una cum eis *modis*, quibus *removeri* queunt: denique *signa* virtutis semel *adquisitæ* & adhuc *possessæ* exhibeantur.

(n) Quodsi enim *mediorum* habetur ratio, exinde adparebit, quanta sit *differentia* inter *veræ & simulatæ sapientiæ* cultorem. *Sapiens* adhibet *media*, quæ *possibilia* sunt & *licita*, eaque *iusto ordine* ac *debito modo* usurpat pro consequendo fine suo. Sed *insipiens*, etiamsi *simulet se sapientem*, more foricis hac in parte se prodit. Cum *illicita*, atque *impossibilia media* excogitet ac elingat,
ant

aut si quando *licita* non minus, quam *possibilia* invenerit, nihilominus *neglecto ordine*, *perverso modo*, nec *opportuno tempore* illa ad finem impetrandum destinat. Mirum ergo non est, si *felicitem sapiens* obtineat, qua *insipiens* culpa sua excidit. Quæ causa etiam me impulit, ut in vindicandis *Logicæ virtutibus intellectualibus de mediis*, quæ *adquisitioni* earum inserviunt, probe dispicerem. Ita confido, fore, quo *virtutes istæ* non *adquirantur* solum, sed & *iisdem adminiculis*, ut ut *amissæ* fuerint, haut ægre recuperentur. Recte D. Hermannus Conringius in *Lib. de Civil. prudent. Cap. IX.* statuit: *Philosophiam non esse quarumlibet rerum, vel quamlibet scientiam, sed eam demum, quæ certa est, & eorum, quorum cognitio animum hominis meliorem ac beatorem reddit.*

CAP. II.
DE
SCIENTIA.
SUMMA.

De prælatione scientiæ inter virtutes intellectuales, eiusque indole agitur §. I.

De differentia ab opinione, inculcata a D. Bergero quoad iurisprudentiam not. (b).

Linguarum notitia non ut pars, sed ut ornamentum scientiæ commendatur, & quanti eam Ennius fecerit. n. (c).

Errorum notitia præmittenda est ab intento scientiæ. n. (d).

Qualium rerum cognitio sit scientia? n. (e).

De principiis cognoscendi, quæ a sciente observantur. n. (f).

Quo fundamento nitatur cognitio certa scientis?

Recentioris cuiusdam scriptoris dubia contra sententiam nostram solvantur n. (g).

Divisio evidentiæ: quarum una obiecti; altera testimonii: posteriore exclusa prior huc refertur, & ex Malebranchio explicatur. Iudicium Spinosæ de evidentiâ. n. (h).

Scopus scientis, una cum

B 3

di-

directione scientiæ ad certum vitæ genus §. II.

Cuius 1) necessitas probatur variis rationibus n. (i).

2) applicatio ad Principem not. (k).

ad subditos, quos præstat doctos esse, quam rudes. Propterea Iuliani Imperatoris Edictum reiicitur n. (l).

Divisio scientiæ in theoreticam & practicam sub examen vocatur §. III.

De innocentia vitæ non facile separanda a scientia. (m) & (n).

Oppositum scientiæ in defectu est ignorantia; in excessu error. §. IV.

Origo ignorantie n. (p) & (q).

Causæ & actus proprii errorum recensentur: eoque nomine Herbert de Cherbury & Thomas Browne laudatur (r).

Media comparandæ scientiæ sunt tam naturalis quam doctrinalia §. IV.

Quorum illa a qualitate iudicii ac temperamenti. n. (s). hæc sunt desumpta.

1) a definitionibus realibus, primariis, adfirmativis, definito adæquatis n. (t).

2) a divisionibus, quæ fun-

damento, sensu & usu se satis probant. not. (u).

3) a demonstrationibus magis tamen eis, quæ a priori quam a posteriori esse dicuntur: etiam si hæc, certis conditionibus instructæ, non excludantur. Thomæ Goveani ostenditur hac in re conciliatio. n. (x).

4) a meditationibus, quarum natura & utilitas exhibetur cum ex parte intellectus, tum ex parte artium. Cartesii meditationes, quibus præscriptæ fuerint n. (y).

5) a methodo, quid ea præstet adquirendæ & conservandæ scientiæ latius explicatur, addito Scaligeri de illa iudicio. n. (z).

6) ab interpretatione, ut rerum non vocum evolutione destinata est. Gruteri circa hanc cautela. n. (aa).

7) a disputatione, scilicet ea, quæ ad rem, non ad hominem pertinet: cuius differentie ratio adfertur. n. (bb).

Impedimenta, quæ scientiæ adversantur sunt

a) ex parte intellectus iudicii imbecillitas. Quale iudicium requirat scientia, ostenditur. n. (cc).

b) ex parte voluntatis, nimia

nia

mia sciendi cupiditas. Quanto opere illa scientiæ modo noceat. Hac occasione περι τῆς πολυπραγµασύνης. n. (dd).

c) a conditione rerum, uti sunt otiosæ, ubi Scholasticorum subtilitates reprehenduntur; alienæ quæ a scientis tam statu quam scopo abluunt; longius remotæ, quarum explicatio & acuta Dioginis Cynici sententia illustratio n. (ee).

d) ex vitio methodi tam nimis laxæ, quam nimis adstrictæ; quarum illa confusio- nem; hæc omissionem, sed utramque scientiæ noxiam, parit. n. (ff).

e) Vitia ex parte docentium non minus, quam discen- tium inter impedimenta scien- tiæ connumerantur. n. (gg).

Removentur impedimenta hoc ordine §. VII. ut tollatur iudicii imbecillitas, medita- tione, conversatione, modera- tione. n. (hh).

Sciendi cupiditas avertitur si in cognoscendis rebus mo- dus servetur. Rursus Car-

tesit de illa cupiditate iudicium est adductum. n. (ii).

Rerum conditio ex usu at- que eventu æstimatur, ac in- de de retentione, aut remotio- ne earum, iudicatur. Cice- ronis hac de re sententia in- ferta est ac commendata. n. (mm).

Vitia methodi declinantur 1. regula. 2. prohibitione ni- miæ subtilitatis. Cuius gra- tia de sobrio usu eius methodi quæ causarum dicitur. n. (nn).

Remedia contra docentium ac discen- tium vitia remissive indicantur. Qua occasione Bodini de Germanis enco- mium.

Signa acquisitæ scientiæ hæc occurrunt §. IIX.

1) in cognoscendo est certi- tudo, cuius fundamentum in evidentia ponitur, & a dubio vindicatur n. (pp).

2) in agendo fiducia, quæ probatur. n. (qq.)

3) in refutando modestia ut errores reiiciantur, non æque errantes contemnantur n. (rr).

4) in docendo soliditas.

§. I.

INter virtutes intellectuales, quæ intellectum nostrum perficiunt, pro perfectionis suæ gradu (a) primus de- betur

betur locus *scientiæ* (b). Hæc vero est virtus *intellectualis* res ipsas (c), earumque *veritatem* (d) ac *utilitatem* (e) cognoscendi per *principia* probandi *vera* (f), *certa* (g) & *evidentia* (h).

- (a) Gradus dari inter virtutes intellectuales, supra monitum est *cap. I. §. IV.* natura illarum ita exigente, quæ ut *qualitates* sunt, ita magis & minus recipere possunt.
- (b) Notum est, *scientiam* opponi modo *ignorantiæ*, vid. *infra §. IV.* modo *opinionis*: illo sensu notat *quælibet rei cognitionem*; hoc autem descripta *§. I.* quod *cognitio sit certa*: non ergo *prioris*, sed *posterioris* usu huc pertinet. Quod *discrimen* non Philosophos tantum, sed Iurium quoque consultos sedulo adhibere, liquet *& solemnè oratione*, ab Illustri D. Io. Henrico Bergero olim Vitrebergæ habita, & commentatione suæ *de usu actionum* subiuncta. Ubi adeo erudite atque eleganter de illo disseruit, ut nihil desiderari possit amplius. Instituta enim disquisitione; *Sciatne, an opinetur Iureconsultus?* quid quid ad *utriusque discrimen* spectat, satis abundeque explicuit.
- (c) Ut distinguatur a *notitia linguarum*, quæ comes & ornamentum, non pars *scientiæ* est, utpote quæ *rerum* earumque accuratam *cognitionem* requirit. Propterea tamen *linguæ* non negligendæ, sed colendæ sunt, quia, *universale medium* præbent *communicandi* cum hominibus aliis de cognitis rebus singulis. Numerorum instar se habent, ut distrahendis rebus hi inserviunt, ita *linguæ* commutandis atque exponendis *rerum ideis*. Illorum interna bonitas adiuvat commercia in *civili*, perinde ac dexter *linguarum* usus artium studia in *litteraria* Republica provehit. Quare nullo non tempore viris prudentibus *linguarum notitia* curæ fuit, eaque Ennium excitavit, *ut tria corda se habere*, diceret, *quod loqui Græce, osce & Latine sciret*, teste Gellio *Lib. XXVII. Noct. Att. cap. XVII.*
- (d) *Errorum* itaque *agnitione* nondum acquisita est *scientia*, quæ *veri* cognitione absolvitur. Nihilominus, Seneca cohortante in *ep. XXIX.* illa præmittenda, *deprehendas*, ait, *te oportet, antequam emendes.* Deinde *scientia* homines reddit *cautos*, quod accidit, quoties *errandi* pericula ostendit, *modumque* vitandi ea præscribit.
- (e) *Cognitio rerum utilium* est vel *quottidianarum*, vel *selectarum*: magis in his, quam in illis *scientia* occupatur. *Sciens* cum vulgo *loquitur* quidem, non protinus *opinionem* huius sequitur, *sed*

sed sentit cum eruditis. Nam vulgus in *externis* tantum hæret; contra eruditi ad *interna* penetrant, quæ in rebus *essentiam*, in actionibus *intentionem*, in legibus *rationem*, in dignitatibus *merita*, ac pro indole cuiusque alia concernunt, ut *artium* cultoribus manifestum est.

(f) Quibus declarandis non immorabor, cum eadem attigerim *cap. I. §. IV. not. (m)* & quod præ ceteris *principia cognoscendi* velim intellecta *l. c. §. I. not. (b)* a me diserte expressum est. Ut proinde sint tam *res producentes*, quam *rationes probantes*. Ex quibus simul patet, quid Philosophi intenderint, quando dixerunt: *scire est, res per causas cognoscere*.

(g) *Certa* vero dicitur *cognitio*, quia solido nititur fundamento *rationis & sensuum*: magis tamen *propriorum* usu, quam *alienorum*. Nam *lumen naturæ*, quod principium *cognoscendi generale* est in universa Philosophia, aperire solet cum dextrum oculus, *rationem*, tum sinistrum, *sensus*. Sileo *adminicula*, quæ *adquirenda scientiæ causa §. V.* sum adducturus. Sed iactò hoc *fundamento*, facile satisfieri potest recentissimo cuidam scriptori, qui in *Tr. de l'incertitude des Sciences* varia obiicere argumenta ausus est. Quorum primum e *sensuum fallacia* eruit; cum tamen scire debuisset, non fallere *sensus*, in re sibi *propria* occupatos, quorum organon *vitio* caret, *aptumque* ipsorum operationi *medium* suppetit. Alterum, quod *certum veritatis criterium* deficiat, partim *experientia*, partim *necessaria principii* cum rebus producendis, partim *signi proprii* cum eis probandis ac dignoscendis *connexio* satis refellit. Tertium, quo *imbecillitas facultatum intellectus humani* in percipiendo vero exprobratur: præterquam quod *petit id, quod est in principio*, si de *perceptione rerum naturalium* loquamur, non protinus aufert *omnem cognitionem veri certam*, sed excitat tantum cognoscentes ad *cautionem & circumspeditionem*, ut hac adhibita extra *errandi periculum* in negotiis præcipuis intellectus constituatur. Quartum a *diversitate methodi* petitum, eo mixus officit, quo clarius præsupposuisse videtur, dari *certam veri cognitionem*, cuius adipiscendæ causa, totidem *methodi* a Philosophis inventæ fuerunt. Ecquis Philologorum *ex linguarum varietate* *sensus sive veritatem, sive certitudinem, sive unitatem*, usquam impugnavit? Quintum quod plurium rerum *causas* adferre nequeant Philosophi, sed *cognitio certa per causas* acquiritur, *inxta not. (f)*. Neque hoc destruit sententiam meam, cum illæ res sæpe *ambitum Philosophiæ* excedant, ac *supra rationis captum* existant. Quo casu *captivanda, non adplicanda ratio* est, ut in mysteriis accidit. Licet etiam

C

causæ

causæ producentes latere videantur; *rationes* tamen *probantes* superesse possunt, quas ab *effectu*, *signisque propriis* repetere, nemo vetuit. Denique sextum eo tendit, quod *Philosophi* in utramque partem *de veritate* inter se contendunt, sed certo verum perpetuis disputationibus obnoxium esse nequit. Sed copię *litium & controversiarum* non *Philosophiæ*, quæ in *veri bonique cognitione* versatur, ubi *verum vero* consonat: bene tamen *Philosophis* tribuenda est, qui *vitiis* suis tam *intellectus*, quam *voluntatis* illas provocarunt. Hinc alii *præservatione*, alii *refutatione* indigent, *erroribus* ubique crescentibus; illa ne admittant; hac ne perseverent in *falsa sententia*, *Philosophi* utuntur. Unde superatis *erroribus*, postea nihil impedit, quominus *scientiæ* cupidos ad eam perducere possint.

(h) Discrimen *evidentiæ* hic observandum erit, quarum una *obiecti*, quæ criterium *veritatis* in *Philosophia*; altera *divini testimonii*, quæ criterium *veritatis* est in *Theologia*. Non posterior, quæ *fidem*, eamque *divinam* producit, sed prior, quæ *scientiam* parit, scopo meo conducit. Quam *evidentiam* Petrus Malebranche in *Lib. I. de Inquirend. Veritat. Cap. II. §. V.* in eo consistere, dicit, ut quis singulas *partes & relationes*, quibus de obiecto quippiam iudicari possit, clare ac distincte percipiat. Hinc quis *evidentiæ* deditus est, corporis cuiusque *partes*, *proprietas* & *operationes* rerum singularum, maxime vero spirituum, ut *DEI* & *animæ*, itemque *congruas* cuiusvis facti *circumstantias* nec minus *causas* rerum productarum, quam *rationes* probandarum, ac tandem *signa propria* latentium tam morborum, quam adfectuum, exploret ac peruestiget. Ita quælibet res intellectui humano adeo *clara, evidens & aperta* erit, ut ad *assensum* velut rapiat cognoscentem. Neque hac in parte erravit Benedictus Spinoza, qui in *Tr. de emendatione intellectus* pro impetranda *evidentiâ* consulit artium cultoribus, ut rerum *differentias, convenientias & oppugnantias* recte colligant, ex eisque *ideis* suas forment, quæ *claræ & distinctæ* futuræ sint, ut comparandæ *scientiæ*, ex earum progressu ad *axiomata*, tamquam optima adminicula, inservire queant.

§. II.

Scientis vero scopus alius esse non debet, quam ut *vitam suam* perficiat. Hinc comparanda est *scientia* cum *destinatione ad rationem status ac vitæ genus* (i), quod quisque

que hominum sequitur. Alia enim *Principi* (k), alia *privato* scire convenit (l).

(i) Ideo ad certum *vita genus* dirigenda est *scientia*, quia intellectum *iuvare* debet, sed *vaga* eundem obruit. *Sciendum* ergo, quod necesse est, monitore *Seneca ep. CIX.* Deinde cum proposito *vitam perficiendi* coniuncta sit, ne quis *sibi* tantum sed & *alteri* sciat. Tantum enim *sciunt* homines, quantum *rebus cognitis utuntur* ad veram sui aliorumque felicitatem. Quare *scientibus* cavendum est, ne, quod in *Græcorum Philosophis* reprehendit *Verulamius in Nov. Org. p. 71. verbosa videatur eorum scientia, & operum sterilis.* Conf. *D. Præses in Disput. de otiosa morum scientia.* Denique ad omnia extendi nequit, obstante *nimia rerum multitudine*, qua intellectus noster *confunditur.* Num itaque *polyhistores*, quos vulgus adpellat, in *virtute* hac alios præcellant, per me disceptari licet. Cui volupe est, hic legere poterit *D. Io. Daniel Maioris Dissert. de Genio Errante cap. I. a. 2. seqq.*

(k) Interest *Principis*, ut *scientiam* suam adplicet ad *historiam.* Sic enim ex *consiliis* aliorumque *factis* statim colliget, quid sibi faciendum sit. Cui *Ethicam & Politicam* iungat, quibus *mores* civium suorum ut *indagare*, ita *gubernare* condiscet, & *proprios* simul ad *bonum exemplum* revocabit. *Mathematica* quoque studeat, cuius ope *rationes ararii sui* cognoscet, *munimenta provinciarum* feliciter exstruet, ac ubi *sedes fortunæ locandæ* sint, haut ægre inveniet. Neque *Physicæ* ignarus sit, quæ ad cognoscendam *indolem regionis*, & *gentis*, cui imperat, & ad *commercia*, quæ a Principe sublevanda sunt, plurimum facit.

(l) Nunquam mihi arrisit eorum sententia, statuentium, præstare in Republica *rudes*, quam *rerum callentes ac eruditos* habere *subditos.* Cum ergo *scientia* sit vera *rerum* ad veram felicitatem *necessariarum & utilium cognitio*, causæ nihil video, cur *subditos* a possessione huius *virtutis* arceant atque excludant. Quæ *obedientiam* erga superiores non tollit, sed *dirigit, adiuvat & conservat.* *Scientia* si quos fecit *pertinaces*, aut etiam *plane rebellos*, *simulata* fuit, non *vera*: nec *virtus*, sed *fucus.* Nam *bonas artes scire*, nunquam non *mores* emollivit. Facessat igitur exprobatio illa, quæ *Edicto Iuliani Imperatoris* occasionem dedisse videtur, quo *Christi nomen* professis *litterarum & artium* studia prohibuit. Plura, eaque exacto iudicio congesta ac discussa, qui fortassis desiderat, adire poterit *Illust. & Maxime*

Generos. DN. Ludwig a Schönbrunn *commentationem de isto Lu-
liani Edicto. Ego ad alia progredior.*

§. III.

Quodsi in comparanda *scientia* habendus est respectus
ad vitam perficiendam, parum apta esse videtur vulgaris
illa divisio *scientiae in theoreticam & practicam*. Nam separa-
tionem *doctrinae* introduxit a *vitae probitate*, & dum ho-
mines *docti* esse ceperunt, *boni* esse desierunt: cum tamen
perfectio intellectus nulla, sine *bono* voluntatis *proposito*
subsistere possit (m). Et sane *probus* est is, non qui scit
bonos mores & artes, sed qui utrisque bene utitur (n).
Ut taceam, quod divisionem illam commendantes, nitantur
falsa hypothesis de Summo bono theoretico (o), a virtu-
tibus moralibus separabili.

(m) Adeo *connexa* esse videtur *vita innocentia* cum *scientia*, ut il-
la quidem sine hac; non tamen haec sine illa consistere possit. Si
quis enim *scientia*, ut *virtute*, uti velit, necesse est, ut cum *mo-
rum probitate* coniungatur. Nam sine *voluntatis emendatione*
emendari ac perfici *intellectus* nequit, cum illa *pravi adfectus*
collantur, qui *iudicium* turbant, quod ad acquirendam *scientiam* op-
pido necessarium est. Aliter si instituat *scientiae* comparatio,
non *virtus* erit, sed *astutia*, quae in *vitio* ponitur, ut tanto quis
astutior, quanto *doctior*, evadat.

(n) Recte Seneca monuit in Ep. XX. *Facere docet Philosophia, non
dicere. Otiosa* igitur apud eos *scientia* offenditur, qui hoc *sine*
artes discunt, earumque *praecipua* sibi *perspecta* reddunt, ut
sciunt tantum ac *subtiliter disputent*, cum *moribus* ac *vitae usu*
singula exprimere, *ratio status* exigat, ad quam a cultoribus suis
scientia dirigenda est. Cum vero nulla extet *secta* Philosopho-
rum, quae ut *docuit*, etiam *vixerit*, ideo *scientiae* cultura non a
sectaria, sed ab *Electica* Philosophia appetenda est. Vid. DN.
Praesid. Disp. de *Philosophia electica vitae civilis conversationem*
non impediante.

(o) Quod supra censurae subieci cap. I. §. II. not. (g).

§. IV.

Sic explicatae *scientiae* duo vitia opponuntur; unum
in defectu, scilicet *ignorantia* (p), quae est privatio *debitae*

ac

ac *necessariae* (q) cognitionis in homine apto ad cognoscendum; alterum *in excessu*, uti *error*, estque persuasio scientiæ (r) in eo, cuius intellectus ad cognitionem *prave dispositus est per præiudicia falsaque principia*, quæ in eundem homines coniciunt.

(p) Nascitur autem omnis *ignorantia* vel *a natura* in stupidis, vel *ab ignavia* in otiosis, vel *ex prava philantia* in superbis, vel *ex mera malitia* in desperatis. Neque officit, *naturam* omnibus esse benignam. Si enim de *natura opifice* sermo sit, non repugno. Sin de *natura humana*, utique benignitas illa neganda erit. Labe hæc *infecta ac corrupta* est, quam pagani etiam Philosophi *coniecturando* adsequi potuissent, nisi *malorum* fuissent incuriosi. At Christiani e sacris litteris illam *perspiciunt*, ac talem *defectum* animadvertentes, exinde satagunt supplere.

(q) *Necessitatis* huius causam determinat hominis *status* sive *naturalis*, sive *adventitius*: quorum ille non tam *vires* corporis ac animæ, quam *morbos ac imbecillitates*. & quæ *pericula* hinc manare solent, ubertim ostendit. *Adventitius* cognitionis necessitatem pro quolibet *vita genere* designat, ceu supra dictum §. II. not. (k).

(r) *Error* non tam in *privatione* scientiæ, quam in *falsa* de rebus *opinione* consistit. Neque *scientiam* penitus tollit, sed *falsis ideis, probationibus, adplicationibus* aliisque replet. Unde ex *parte intellectus*, perversæ rei apprehensiones, temeraria iudicia, prævæ *ratiocinationes, ex parte eventus*, qualiscunque rerum inter se *confusio* nascitur. Quamvis pro *ingenii* alicuius *stupore* facile *error* obrepere possit, *labeque* not. (p) adlegata suum quoque *symbolum* conferente; nihilominus *negligentia* experientiæ, *ineptus* docendi ac discendi *modus, secordia* in meditando, & in primis *prædominium* uniuscuiusque *pravæ adfectus*, quod intellectus in *iudicando & ratiocinando* potissimum exsequitur, *errorem* producit, aut alit semel productum. Alias *errorum causas* exhibet Edoardus Br. Herbert de Cherbury in *Lib. de causis errorum*, eorumque *varias species* delineavit Thomas Browne in *Tr. de erroribus popularibus*. Verum in hunc excurrere campum, instituti mei ratio non patitur. De *virtutibus* ago, non de *vitiis* humani intellectus.

§. V.

Media nunc indicanda sunt, quæ ad *scientiæ* *productionem, conservationem, aut amissæ recuperationem* faciunt.

faciunt. Ubi enim *natura* (f) deficere videtur, ibi *doctrina* Logicæ eadem supplere ac conferre incipit. Ita *scientiæ* cupido primo *definitiones* commendat, quia *scientia* est clara rei cognitio, quæ non aliunde melius, quam a *definitionibus* (t) hauritur. Deinde offert *divisiones*, quia *scientia* exigat *distinctam* rerum cognitionem, ac *iudicium discretivum* præsupponit: utrique *divisiones* (u) inserviunt. Tum *demonstrationes* (x) promit, quia *scientia* est cognitio certa, sed *demonstrationibus* apex *certitudinis* attingi poterit. Porro laudat *meditationem*, quia *scientia* absolvitur *prompta & parata* rei cognitione, quam *assiduitas* cogitationum, quæ in *meditante* (g) occurrit, omnino largiri valet. Post *methodus* accedit, quia *scientia* est *ordinata* quædam cognitio. Sed ea *methodi* vis est, ut, quæ *confusa* sunt ac *turbata*, *copia* rerum *dissipante* intellectus perceptionem, *ordine* digerat, suoque *loco* reponat (z). Neque *interpretationem* præterit, quia *scientia* postulat *evolutam* ac *evidentem* rei cognitionem, quam *interpretatio*, magis ad *rerum*, ac *sensus vocum* evolutionem adplicata, præstare potest (aa). Denique *disputatio*, cum primis ea, quæ ad rem directa est, (bb) huc advocatur, quoniam *scientia* est cognitio vera. Ut igitur ab erroribus separetur, & finis iste obtineatur, *disputatio* institui debet.

(f) Equidem *scientia* in intellectu non requirit modo *ingenium* ad inveniendas rerum cognitarum probationes, sed quam maxime etiam *iudicium*, partim *discretivum* ad separandas inter se res inventas earumque probandi rationes, & ad errorum refutationem, partim *decisivum* ad adplicandas res, atque harum probationes pro cuiusque *statu vitæque usu* conf. præced. §. II. tot. Quam ob causam illi Philosophi, qui existimant, *cogitationes* etiam sequi *corporis temperamentum*, *cholericum-sanguineum* hic postulant a *scientiæ* intento: quorum illud ad *iudicium*, hoc ad *ingenium* disponat: illo præcellente, hoc moderatum sit,

(t) *Scientiæ* vero inserviunt *definitiones reales*, non *nominales*, quia *rerum*, non *vocum* notitia est vid. §. I. per not. (c) eæque *primariæ*, non *secundariæ*, cum illæ rem explicent ex *internis* ac *necessariis*; hæ ex *contingentibus* etiam atque *externis* circumstantiis. Iam vero *scientia* quæ cognitio certa est, repudiatis *secundariis*,

dariis, primarias tantum ad sui productionem deposcit. Neque polemicas fert definitiones, quia negativæ sunt, ad solam sententiæ falsæ exclusionem destinatæ; sed didacticas urget sibi deberi, quia affirmativæ, & scientia, quæ cognitio veri est, iis ad veram sententiam de qualibet re perducitur. Præterea quantum fieri potest, definitiones sint adequatæ, ut evidentia ac sufficientia nihil decedat, quam scientia appetentes ab illis expectant. Vid. D. Præsid. Fundam. Phil. Rat. cap. I. §. III IV. V. & X.

(u) *Divisiones, quæ scientiæ acquirendæ causa hic prædicantur & commendantur, ita se habeant. In ea, quæ rei dividendæ insunt, fiant. Aliter enim factæ, non divisiones erunt, sed fictiones, quas rejicit scientia, quæ vera rerum cognitio est. Cuilibet etiam divisioni ab avido scientiæ præmittatur fundamentum. Divisiones namque eo carentes, petunt id, quod in principio est. Ideo, ut incertæ ad comparandam scientiam ne quidquam prodesse possint. Maxime vero sensus membrorum distinguantur explicetur, ut his quædam concilietur evidentia, quæ scientiam constituit. Denique usus cuiusque divisionis in tradendis artibus, decidendis vitæ negotiis, componendis dissentientium sententiis, ipsisque erroribus refutandis utique demonstratur. Qua ratione divisio præstantissimum erit obtinendæ scientiæ medium, utpote quæ rerum cognitionem omnem ut veritate, ita etiam utilitate metitur. Vid. D. Præsid. Fund. Phil. Rat. Cap. V. §. 8. ed. nov. & Id. in Process. Disputandi cap. X. §. 8. & 10.*

(x) *Magno consensu Philosophi docent demonstrationes esse media adipiscendæ scientiæ conf. cap. I. §. I. Neque hoc tantum de illa demonstratione intelligunt, quæ a priori esse dicitur, & a causis aliisque principiis procedit, quorum usus circa virtutem hanc intellectualem identidem explicatus est cap. I. §. IV. not. (n) h. cap. §. I. not. (f) & (h). sed de hac etiam, quæ a posteriori, scilicet effectu, proprio tamen proximo ac speciali, itemque ab ipsis rerum proprietatibus deducta est. Nam demonstratio omnis, quæ scientiam gignit, progressus esse debet a notiore ad ignotum. Sed nemo adeo hospes est artium omnium, qui ignoret extare effectus notiores causis suis. Tales, qui vel sensu ipso percipiuntur, vel quorum connexio cum causa sua statim ab intellectu perspicitur, ut ex respiratione vita, ex fructibus arbor, ex infamia dolus, & reliqua. Vid. D. Præs. in Fundam. Phil. Rat. cap. VI. §. 3. & 4. Nervose dubium omne avertisse videtur Thomas Goveanus in arte sciendi P. Spec. III. cap. IV. §. 15. ratus scientiam esse notæ causa cognoscendi; scientiam divoti causa essendi: ubi tamen*

men vocem *causae late* accipit, pro *ratione scientiae* de aliquo, adeoque *effectui* etiam adplicari potest.

(y) *Meditatio* enim est actus humani intellectus, quo cogitationes nostrae *augentur*, auctae *uberius explicantur*, *confirmantur*, quae explicatae fuerunt, a dubiis *vindicantur*, atque *necessariis* eisque *congruis* illustrantur *exemplis*. Unde *usus* eius esse non potest, nisi amplissimus. Sic ex *parte intellectus*, quod ad ipsius *perceptionem* attinet, *plenam*, *perfectam* & *copiosam* reddit; in *iudicio* id praestat, ut a *praedubiis* purgetur, *limatum* ac *deliberatum* sistat. Neque minora sunt *artium* commoda, quae *meditatione* procurantur, singula vero *scientiae* comparandae satis idonea. Siquidem istius *opetoties incrementa* artibus obtingunt, quoties vel *futura* coniectando inveniuntur, vel *praeterita* in usum revocantur, vel *ambigua* evolvuntur, vel excusso *errorum* iugo, *dogmata pura*, atque *convenientia* his exempla, substituuntur. Ex quibus adparet, *meditationem*, ad omnes *pæne cogitandi*, *docendi* ac *discendi* modos pertinere, sed ad *adquirendam* & *retinendam scientiam* ex singulari *ratione* concurrere. Nam *Philosophia* est quasi *perpetua meditatio*, quae *iudicium* postulat cum *ingenio* coniunctum. Verum sine hoc *scientia* obtineri nequit. Hinc extant *Renati Cartesii Meditationes*, scriptae non *debilioribus* ingeniis, sed *meditari valentibus*, ut inde *scientiam* haurirent.

(z) Tanti veteres non minus, quam recentiores *methodum* fecerunt, ut saepius illam *artium doctoribus* iueularent his verbis: *Ordine fac, doceas*. Ita sane *methodus* est, quae *dirigit intellectum* in *rerum cognitione*, *viamque* pandit *ex una cognitione ad aliam* *perveniendi*, donec ad *summum scientiae gradum* evehatur. Neque modo *rem existere*, *silo methodi ducente*, quisque novit sed quae *natura* eius, quae *causa*, *proprietates*, & pro *ratione materiae* *substratae*, quae *partes* sint, percipit. Unde supra ex *hisce* *cognitis evidentiam*, quae *scientiae* *prima dos* est, deduximus *preced. §. I. not. (b)*. Nihil deesse, nihil superesse *methodus* concedit. *Priore enim cognitio manca*; *posteriore vana* redderetur; sed *utraque scientiae* officit. Ut in *catena annuli*, ita *inter se res cognitae*, *auxilio methodi*, *cohaerent*. Adeo ut *lumen* *haut exiguum* *adfundatur intellectui*, talem *intuenti* ac *sequenti* *rerum connexionem*. Non *fluctuum marinorum* unus ita *impellit alterum*, quam *methodo* *propositae* *res sese excipiunt*. *Ordine* itaque nihil *utilius* *deprehendi* pro *verae scientiae* *studio*. Quare non puto *contemnendum* esse illud *Iulii Caesaris Scaligeri* *de methodo* *iudicium* in *Exercit. CCCIII. §. 9.* *inquentis*:
Maximam

Maximam subtilitatis partem in libris esse ordinem: eoque nomine & loco adversario suo, Hieronymo Cardano exprobat, ordinem tanto Viro parum curæ fuisse.

- (aa) Non est, quod repetam, paullo ante expositam *scientiæ* indolem, quæ rerum, non vocum cognitione continetur *præced. §. I. not. (c)*. Modo id addere liceat, quod Janus Gruterus, at quantus Philologus! olim *scientiæ* desiderio incensis dicere solebat: *Plus fore interpretationum, si minus esset interpretum.*
- (bb) Quæ probe discernenda est ab ea *disputatione*, quæ ad hominem esse videtur. Quoties ex *principio concesso*, tametsi falso, cum dissentiente illa instituitur. Vid. D. *Præsid. Process. Disput. cap. I. §. 10.* Verum hæc quominus pariat *scientiam*, impedit *falsum principium*, de quo suscipitur. Nam *scientia* ex veris dependet *principiis*, vid. *præced. §. I. not. (d) & (f)*. Sed ideo *falsum* adsumitur, ut errantes eo facilius, si non ad *confessionem*, pudore, aut etiam *pertinacia* hanc inhibente, saltim ad *convictionem* adducantur.

§. VI.

Vifis, quæ *scientiæ* profunt, mediis, ad *impedimenta* me convertito. E quibus occurrit, pro *ratione intellectus*, *iudicii* humani *imbecillitas* (cc), cum tamen mortalium nullus de impetrata a se *scientia* gloriari queat, nisi *acri* polleat *iudicio*. Si de *voluntate* dispiciam, *nimia* adest *cupiditas sciendi*, quæ efficit, ut homines *iudicium* de rebus cognoscendis non *maturent*, sed *festinent* potius ac *præcipitent* (dd). Quo facto res plures inter se *confundant*, ac *scientiæ* finem plane *negligant*. Rerum quoque *intuitu*, multæ se intrudunt *circumstantiæ*, quarum *conditio* probe considerata satis impedire videtur *scientiam* (ee). Ex parte *methodi*, quod mireris, haut leve obiicitur *impedimentum*, vel nimis *laxa*, vel nimis *adstricta* regulis artium est: utraque in fraudem *scientiæ* amanti cedit (ff). Neque ex parte *docentium* *impedimenta* defunt, quæ magis tamen ex corruptis *moribus* (gg), quam ex falsis *hypothesibus* errantur, ac cognoscuntur. E quorum examine liquet, quam difficilis *ad veram scientiam* aditus existat.

D

(u) Propte-

- (cc) Propterea *iudicium* in *scientiæ* dedito requisitum fuit *præca.* §. V. *not. (f).* quia *scientiæ*, uti clare demonstravi, *certa* est ac *distincta* rerum cognitio, ad quam *iudicium adcuratum, limatum ac deliberatum* exigitur. Nam ope istius *probationes* explorantur, *veræ* separantur a *verosimilibus*, *evidentes* eliguntur, *missis*, quæ minus *evidentes* sunt, & ad *opinionem* reiectis. Conf. Thomas Goveanus in *arte sciendi Part. Spec. III. cap. IV. §. 7. seqq.*
- (dd) Inordinatum hoc *sciendi* desiderium magno esse *scientiæ* impedimento, multis elucet argumentis. Primo enim ad ea ducit, quæ *rationis* nostræ *limites* transiliunt, ut ab illa capi non possint. Quorum causa *captivatio rationis* præscripta est *cap. V.* ut nimium *sciendi* studium compescat. Dignum, quod posteris commemoretur, exemplum Iesuita Cottonus dedit, istius studii in disceptatione cum Diabolo inita, eoque nomine ab Augusto Thua-no reprehensus *Histor. Lib. CXXXII. ad a. 1604.* Deinde quæ ad *vitæ* nostræ *genus* non spectant, illa nec *scire* opus est. Alias *omnibus* intento accidet, ut ad *singula*, quæ *sibi necessaria* sunt, debitam non dirigat *attentionem*. Vid. præced. §. II. *not. (i)* Tandem quæ cuiusque *officium* non tangunt, nec *scire* fas est. Nusquam non ἡ πολυπραγμοσύνη in vitiō ponitur, quæ summam hominis prodit dementiam, *aliena* curantis, *sua* negligentis. Vid. Plutarchus in eleganti opusculo περὶ τῆς πολυπραγμοσύνης conscripto.
- (ee) Sunt enim *res otiosæ*, ab hominibus inventæ, quas *scire* non proficit. De quibus Seneca recte pronunciavit in *libr. de Brev. vit. cap. XIV.* quod *nullius cupiditates premant.* Sed ubi *vera scientiæ*, ibi adfectuum debet esse *coercitio*. Qua de causa *Scholasticorum* inter Pontificios *subtilitates* male audiunt, licet sibi met ipsis propositum fuerit præ ceteris *intellectum* humanum emendare, sed *ineptis* plane *mediis* utebantur. Nam ipsorum *speculationes, distinctiones ac controversiæ*, ita comparatæ sunt, ut cogitationes *sine re* vāgas, *sine numero ac ordine* confusas & denique propter *continuas* inter se *lites*, maxime turbulentas reddant. Conf. B. D. Tribecchovius integro libro de *Seclis Scholasticorum*. Iam vero *scientiæ* se se non insinuat, nisi *certis, distinctis & tranquillis* cogitationibus. Dantur porro *res alienæ*, quæ *statum, officium, aut vocationem* nostram non respiciunt, ideo iuxta præced. *not. (dd)* tantum prodesse possunt *intellectui*, quantum fumus oculo. Ecquid iuvat in huius temporis egestate *superflua* nosse, cum ne *propriis ac necessariis* ullus mortalium sufficiat. Sileo *res longe remotas*, quarum *usus* vel nullus, vel admo-

admodum exiguus est nostro tempore atque loco. In quibus operæ pretium perdunt, quot quot eis indagandis se consecrant. Hinc Diogenes Cynicus, cui *acre iudicium* erat in despiciendis aliis ad eum iuvenem, qui de rebus cœlestibus multa parum provide iactaret ac effutiret, dixit lepide: ποσαῖς πᾶσι ἀπὸ τῆς ἕρηνῆς; Diogenes Laertius in *Lib. VI. de vit. Phil. p. m. 389. in vita Diogenis.*

(ff) *Laxa* quidem, quæ *peregrina* miscet, ac proinde confundit. Sed ubi *confusio* regnat; ibi *scientia* exulat. Notentur, qui philosophiam Theologicam, Iuridicam, aut similem ediderunt, non sine gravissimo *scientiæ* damno. Hos enim hautquaquam excusat, quod *artium studia* inter se sint *cognata*. Verum perpendere debuissent, quod *cognatio*, quæ ratione *usus* est, non pariat *confusionem*, quamdiu *tractandi modus* manet separatus. Cum ergo illi dictum *tractandi modum* pervertant, e quo tamen omnis *artium differentia* hauritur, *confusio* sua præpediunt *scientiæ* acquisitionem. Nimis quoque *adstricta* methodo usi, e. g. tabularum specialium, hac *culpa* propterea non vacant, quia *necessaria* omittunt, quorum adcurata cognitio est *scientia*. Accedit, quod *veritatem* in angustias redigant *methodo* sua, eisque inclusam opprimant, aut subtilitate nimia obscurent. Certe *methodus* remedium est intellectus *perficiendi*, idcirco ad ipsius defatigationem male adhibetur, quæ *pristinam imperfectionem* reducit, vel novam superaddit.

(gg) Ex parte *docentium* impeditur *scientia*, quoties *sciendi monopolium* adfectant, *sectæ* student, ab omnibus *dissentiant*, eosque *contentu* suo premunt, aut, si fors sibi favet, penitus opprimere conantur. Neque defunt, quæ ex parte *discentium* observentur impedimenta. Hi enim de *libertate* sua, qua fruuntur, male dispensant. Ita se gerentes ad sentiendi *licentiam* extendunt, ut molestiores fiant, quam meliores; aut cum *ingenii servitute* commutant, in verba magistri iurantes, cum eodem *errare*, quam alium *vera* docturum sequi malint. Unde manifestum est, *pravus moribus* magis, quam *sententiis falsis* *scientiam* suffocari.

§. VII.

Removentur autem hæc *impedimenta* eo ordine, quo obiecta fuerunt *iudicii* nempe *imbecillitas meditatione, conversatione, ac moderatione* corrigi potest (hh): Illa ex *tardo promptum*, ista ex *improvido cautum*, hæc ex præ-

cipite *deliberatum* reddit iudicium. Nimia etiam *sciendi* cupiditas impedimento esse (ii) desinit, simul ut quis *modum* didicit servare in *cognoscendis* rebus. Neque apicem felicitatis illico attigit, qui *omnia*, sed qui *sibi opportuna ac profutura* (ll) seie atque intelligit. Quo pacto eveniet, ut rerum *conditio* in se nunquam, sed earum saltim *applicatio scienti* (mm), obstare videatur. *Methodus*, si hæc eligatur, quæ *naturæ* ordini respondeat (nn), tantum abest, ut *impedimento* sit, ut eximium potius præbeat auxilium *adquirendæ scientiæ*. Melior enim vix ullus excogitari potest *naturæ ordine*, qui DEum ipsum sapientissimum habet autorem. Postremo docentium quidem ac discen- tium *vitia* noscenda sunt, sed secundum illa nec *vivendum*, nec *sentiendum*. Quare ea singula quæ alibi larga manu adversus *præiudicia* (oo), corruptosque mores, adferuntur, loco *remediorum* congererem, nisi notiora forent, quam ut ab artium cultore ignorari queant.

(lh) Sic *meditatio*, quæ assiduitatem infert cogitationum *vid. b. c. §. V. not. (y)*. de eadem re susceptarum, ut intellectum in eius *cognitione* confirmat; ita & *paratum* simul *promptumque* iudicium producit. *Conversatio*, quæ cum prudentioribus ac vere doctis inita est, id efficit, ut horum imitatione melius examinentur rationum pondera, nec quidquam a *scientiæ* cupido eligatur, ac cognitioni subiiciatur, nisi *usui humano* inservire queat. Denique *moderatio*, quia *scientiæ* appetentem ad *sensum imbecillitatis humanæ* perducit, eo spectare videtur, ut licet quis perfecte nosse *veritatem* ab aliis prædicetur; mediocritatis tamen suæ conscius non insolescat, sed nullus dubitet, quin perfectius illam cognoscere queat. Qua ratione & *negligentiam* in rebus semel cognitis, & *securitatem* in erroribus attrahendis perquam egregie vitabit.

(ii) Alias fatetur mecum ipse Renatus Cartesius in *Princip. Phil. Pr. I. §. 42.* quod ipsa *veritatis assequendæ cupiditas* persæpe efficiat, ut ii, qui non recte sciunt, quæ ratione sit assequenda, de iis, quæ non percipiunt, iudicium ferant, atque idcirco ut errent.

(ll) Conf. *b. cap. §. I. not. (e)*.

(mm) Otiosis ergo abstineat *scientiæ intentus*, quia *otia* dare vitia, *vulgo*

vulgo etiam notum est. Et si Ciceronis admonitionem *Lib. I. de officiis p. 13.* omnes sequerentur, observatione mea superfedere possem. Sic vero ille admonuit ætate sua: *Curandum est, ut cogitatione ad res quam optimas utamur.* Neque rebus alienis immoretur scientiæ cultor, quia ne propriis quidem rebus se sufficientem esse offendet. Multominus solis inhæreat externis, quæ tantum internorum signa sunt: nec corpori præ anima, aut statui externo præ corpore plus curæ ac sollicitudinis impendat. Ubi maius periculum & commodum, ibi plenius consulendum est. Præterea rebus procul a se remotis haut immoretur, utpote quæ in usum suum deduci nequeunt: scientiæ utile cum vero semper miscente ac connectente.

(nn) Inter scholæ doctores recepta est regula, ut *modus cognoscendi sequi* debeat *modum essendi.* Quo plus enim artis est in aliqua *methodo*, eo plus subtilitatis producit in hominis intellectu. Sed nimia subtilitas a veritatis tramite abducere potest, adeoque comparandæ scientiæ nociva est. Nulla *methodus* existat, quæ propius ad producendam accedat scientiam, quam *causarum* iuxta præ. §. V. not. (x) nihilominus, si vel *singulis rebus promiscue* applicetur, vel in *causis* ipsis negligatur *selectus*, magis in *cerebrinam* coniciet subtilitatem, quam ut optatam utilitatem præstaret. Conf. DN. Præsidis *Fundam. Philosoph. Ration. Cap. VII. §. 9.* Regulæ igitur *logicorum* hic quoque dirigant, non tollant *libertatem* humani intellectus.

(oo) Factum hoc a DN. Præside cum in *Fund. Phil. Rational. cap. III. §. 6. & 9.* tum in *Disp. de præiudiciis in iurisprudencia fugiendis. cap. I. §. XVI. XXII. & XXIX.* Tantum addam, qua Ioannes Bodinus, Gallus scriptor, cetera valde iniquus Germanorum censor, eosdem scientiæ multiugæ laude maectavit in *Methodo Histor. p. 142.* Ab eo tempore, quo de *libertate* sua bene dispensare ceperunt: *humanitate* inquit *Asiaticis*, *militari disciplina* Romanis, *religione* *Ebraeis*, *Philosophia* *Græcis*, *geometria* *Ægyptiis*, *arithmetica* *Phænicibus*, *astrologia* *Chaldæis*, *opificiorum varietate* populis omnibus superiores esse videntur.

§. IIX.

Ex dictis nunc acquisitæ scientiæ facile colligi possunt *signa*, uti sunt *certitudo* in cognoscendo, qua *intellectus* firmo assensu sententiæ semel cognitæ adhæret (pp): *fiducia* in agendo, qua *scientes* res cognitæ sibi applicant, procul depulsa cuiusque eventus adversi formidine (qq):

D 3

modestia

modestia in refutando (rr), quando vel contra *dubitantes* tantum, vel contra eos, qui *manifestam* & ab omnibus pæne concessam veritatem impugnant; *soliditas* in docendo ac discendo, cum omnia *iusto* ordine proponuntur, *sufficiente* probantur ratione, & denique *idoneis* exemplis illustrantur ac stabiliuntur,

(pp) Intellectus enim *scientis evidente* ac *vera* probandi ratione se *convictum* esse deprehendit. Iam vero *evidentia* est causa *certitudinis* §. I. not. (b), & vicissima *certitudo* est effectus *evidentia*. Ideo namque intellectus *certo* ad sensu rei cognitæ adhæret, quia eius *veritas* sibi satis *evidens* est. Conf. Io. Claubergius in *Logic. P. I. c. XII. §. 135. seqq.* & Paulus Michaël Rhegenius in *Spec. Logic. Claubergiana Cap. XIII. §. 6. seqq.* Neque ad rem facit, quod plurimi Philosophorum ad *evidentiam* provocent, qua tamen decipiantur. Sed quem præterit, *deceptionem* hanc non ab *evidentia*, verum a *precipitantia* potius suboriri. Quoties *clarum ac evidens* existimant, quod penitus inspectum & ex *communi hominum iudicio* diiudicatum tale non est, ut notiones *Metaphysicæ Scholasticæ*. Nascitur ergo, ut quisque videt, *deceptio* hæc ex *perversa* docendi ac discendi *methodo*. Plerique non docentium solum, sed & discendum *meditandi artem* a *Logica* sibi præscriptam contemnunt ac negligunt, eique *memorandi artem* præferunt: quæ posterior quidem *ideas* etiam multiplicat, sed de *diversis* rebus, ac sæpe minus intellectis, quo facto illa confundit, ut homo *cognitione* sua non ad *veram*, quæ *subactum* exigit *iudicium*, sed *superficiariam* tantum eruditionem perducat, quæ sola plurima rerum *memoria* contenta est. Expeditum vero inter omnes, quod *superficiariae* eruditionis comes sit *precipitantia*.

(qq) Atque hoc exinde patet, quia *scientia* est cognitio rerum ad *statum* & cuiusque proprium *vite genus* directa pr. §. II. Ideo ad scopum & congruum & necessarium destinata, omnem hoc excidendi metum in *sciente* eiicit, & accensam semel *fiduciam* sustentat. Vid. DN. Præsid. *Philosoph. Moral. P. II. cap. XI. §. II. & III.*

(rr) *Scientia* dicitur esse cognitio *perfecta* quæ quidem in *genere suo* subsistit, nihilominus cum *sensu humane imbecillitatis* exserenda est per §. I. not. (s) & §. VII. not. (ll). *Errores* itaque reiiciuntur, non statim *errantes* excluduntur a consortio nostro. Disputatur cum *sententiis*, non cum *hominibus*. Procul remota *disputatione*, a bonis etiam moribus abhorrente. *Philosophia enim*

enim scientiæ cupido præcipit, Seneca comprobante in Ep. CIII.
sine pompa sapere & sine invidia alios refutare.

CAP. III.
DE
OPINIONE.

SUMMA.

Connexio huius capituli cum præcedente una cum definitione opinionis explicatur §. I.

Heracliti sententia, opinionem habentis pro morbo intellectus confutatur. not. (b).
Materia opinionis iudicata, error etiam Aristotelis circa declarationem eius, quod probabile dicitur, reiectus est, ab eoque inter recentiores ne Lockium quidem fore alienum ostenditur not. (c).

Causa metus oppositi, qui opinionem comitatur, designata est. not. (d).

Divisio opinionum subiecta (1) ratione graduum in magis & minus probabilem.

(2) ratione eventus in tutam & minus tutam.

(3) ratione subiecti in singularem & communem. §. II.

De sectis probabilistarum

inter Pontificios sub initium huius sæculi ortis, & de illis iudicium. Melior tam Grotii, quam Pufendorfi sententia adsumta est. not. (e).

An pro communi opinione & quomodo militet præsumtio veritatis? not. (g).

De concursu opinionum electivo, in quo tuta præferenda est probabiliori, & singularis quandoque communi. Cavendum vero ab ea, quæ speciem tantum devotionis habet §. III.

Doctores, qui de opinionum diiudicatione scripserunt, referuntur. not. (h).

Opinio probabilior explicatur & illustratur exemplo a seruo egrotante. not. (i).

Cur vulgus ex veritate pauca, ex opinione multa æstimet? eiusque mores ex Iulio Cæsare describuntur. not. (k).

De

De sententia, qua imperii occidentalis decrementum mutationi religionis paganae tribuitur actum: An eo nomine culpandus sit Machiavellus? not. (m).

Opinionem in defectu dubitatio, in excessu nimia probabilitatis admiratio, opponitur. §. IV.

Notatur Io. Clericus, qui dubitationem cum opinione confundit, eamque huius gradum esse statuit. Neque obstat (i) dubitationem esse remedium contra praevudicia. Resp. per instantiam a febrium salubritate. (2) doctos plus dubitare, quam rudes Resp. Ex sensu humane imbecillitatis ac rerum difficultatis. not. (n).

Damna, quae ex nimia probabilitatis admiratione consequuntur, adducta sunt. Qua occasione expenditur controversia de nimia cogitandi libertate, quam D. Treuer movit Tolando & D. Kochii via media in eius decisione laudatur. not. (o).

Media comparandae opinionis colliguntur tam naturalia, quam artificialia. §. V. Quorum illa peruntur

(1) ab ingenio, imagina-

tionibus abundante, itemque a dispositione sanguinis. Spinose sententia de vaticiniis damnatur, addita remissione ad doctores not. (p).

(2) ab experientia, salva tamen differentia inter eam, quae scientiae, & quae opinioni producendae inservit. n. (r).

(3) ab adfectione voluntatis, in qua minimus verosimilitudinis gradus quaeritur, illustratur quoque exemplis omnium pene disciplinarum. not. (s).

(4) a ratiocinatione, servata ubique differentia inter praesumptiones & coniecturas. not. (t).

Artificialia alia sunt petita (1) a definitionibus eisque secundariis.

(2) a divisionibus instrumentalibus. not. (u).

(3) a Locis dialecticis, quinam horum praesumptionibus inserviant, prolixè ostenditur. Autor artis cogitandi eorum causa refutatur, Iunckero laudato. not. (x).

Maximam partem regularum, quae humanam dirigunt prudentiam, probabilitate niti, defenditur. not. (y).

Impe-

Impedimenta opinionis adsequenda exhibentur §. VI. quorum præcipua

(1) *ingenii tarditas, contra quam obiectio Morhofii solvitur not. (z).*

(2) *timiditas humanæ voluntatis cuius causa cum dehortatione adlata est. not. (aa).*

(3) *qualiscunque rerum inter se similitudo. not. (bb).*

(4) *methodus sectaria & pure polemica, utriusque noxa indicatur. not. (cc).*

(5) *Mores tam docentium, quam discipulorum corrupti, horum respectu nec novæ, nec antiquæ opinioni absolutus debetur assensus not. (dd).*

Removentur impedimenta tali ordine, quo obiecta fuerunt. §. VII. Scilicet ingenii tarditas depellitur exercitatione magis, quam arte: hanc ob causam ars Lullistica reiecta est not. (ee).

Modi inventionum, quæ exercitationi ingenii conducunt ex Verulamio. not. (ff).

Quaratione falsæ imagines quæ opinionem depravant, avertantur? Explicatur quoque obiectio, de mundo, qui opinionibus regitur. not. (gg).

Contra methodum sectariam consilium, remissive not. (hh) una cum morum examine ad §. VII.

Signa opinionis sunt

(1) *in cognoscendo cautio quæ ad intellectum pertinet*

(2) *in eligendo prudens diffidentia. Quæ non tam fiducia omni, quam audaciæ opponitur. not. (mm).*

(3) *in docendo temperamenta Philosophica. Specimen horum ex aulæ & curiæ Romanæ stilo petatum not. (nn).*

(4) *in refutando moderatio, quomodo exercenda sit not. (oo).*

§. I.

EX verosimilibus principiis (a), quæ cum aliqua oppositi formidine coniuncta sunt, nova virtus intellectualis (b) proficiscitur, quam Philosophi vocant opinionem. Hæc itaque virtus intellectualis est, qua intellectus humanus res cognoscit (c) per rationes tantum probabiles, eisque tam diu ad assensum præstat, donec contrarium probetur (d) ac doceatur.

E

(a) De

(a) De quibus pluribus egi in *Cap. I. §. IV.*

(b) Ex antiquis Philosophis, Heraclitus dissentit, qui *opinionem* non ad *virtutem* retulit, sed ad *morbum* humani intellectus. Diogenes Laertius id ipsum testatur in *vita Heracliti p. 63f.* his verbis: *Τὴν τε εἴησιν, ἱερὰν νόσον ἔλεγε καὶ τὴν ὄρασιν, ψεύδεσθαι.* Sed graviter se aliosque sefellit. Quamvis enim *falsum* saepe mentiatur *speciem veri*; propterea tamen non omnis *verisimilitudo*, cui innicitur *opinio*, pro *falsitate*, *morbum* in intellectu excitante, venditari potest. Non ignoro in *erroribus*, quos Logici *beterodoxos* adpellant, *veri colorem* circumfundi, modo per *rationes*, quæ accuratius cognitæ sunt *falsæ*, modo per *testimonia* celebrium virorum, ut sub hoc tegmine aliquando *errantes* delitescant. In confutatione autem paullo post adparet, nullam sententiam adeo *absurdam* esse, quin summus aliquis Philosophus eandem defenderit.

(c) *Materia* enim, circa quam *opinio* versatur, ratione adprehensionis est *probabile*, ratione productionis *possibile*, ratione durationis inchoandæ *contingens*, continuandæ *mutabile*. Principio igitur cavendus est *error Peripateticorum*, qui Aristotelem suum *Lib. I. Τὸν. Cap. I.* secuti, *probabile* ita descriperunt. Quod *verum* videtur *omnibus*, *vel pluribus*, *vel sapientioribus*; & his rursus *vel omnibus*, *vel pluribus*, *vel maxime celebribus*. Nam *probabilitatem* tantum quæruni in *sententiis* hominum, non *habita ratione ipsarum rerum*: cum tamen *opinio* ad has quoque respiciat. Deinde inter homines, *regnante* ad *dissentendum facilitate*, consensus ille obtineri nequit, quem fundamenti loco in *probabilitate* sua præponunt. Neque Peripateticos iuvat, *sapientiorum* saltim consensus ab eis exigi. Hi enim in *probabilibus*, *deficiente evidentia*, sola sapientum convincente intellectum, non cum *pluribus*, nedum cum *omnibus* consentient. Licet *testimonia* hominum non reiiciam penitus circa *opinionem*; nihilominus ea fore *minus sufficientia* huic producendæ, sed *ad fidem*, de qua paullo post dicturus sum, longe utilius referri posse, mihi persuasissimum habeo. Adeo ut propterea Io. Lockium in *Lib. IV. de intellectu humano. cap. XV. §. IV.* qui inter fontes pro consequenda *opinio*ne apertos eadem perperam connumeravit, pari censura, ac Peripateticos, dignum esse existimem. Quibus discussis etiam illis adsentiri nequeo, qui *verosimilitudinem* confundunt cum *possibilitate*: quæcum illa ad *probationem* respicit; hæc ad *productionem*, modumque *future existentie* indicat. Atque contra hanc confusionem satis nota est Philosophorum *regula*, qua docent, *a posse ad esse* non valere argumen-

rum. Tam possibile, quam probabile ad opinionem concurrat, sed, uti iam dictum est, sub diversa relatione. Id quidem certum est, quidquid impossibile, illud pariter improbabile esse. Verum inde non sequitur, ut protinus omne, quod possibile est, statim probabile sit, e. g. inventio thesauri. Eam ob causam, quia possibilia dantur, quæ a mero hominis arbitrio libero, aut a casu fortuito, dependent, de quibus probatio frustra desideratur.

(d) Cum minus evidentia sint probandi principia, quibus aliquam opinionem sibi comparantes utuntur, inde accidit, ne statim intelligant, quid sibi opponi possit. Quamdiu ergo in hac intellectus sui persuasionem occupantur, tamdiu præstant ad sensum. Conf. Thomas Goveanus in arte sciendi P. Spec. III. cap. V. §. III.

§. II.

Ita constat, opinionem talem continere intellectus humani ad sensum, qui cum formidine, saltim virtuali, oppositum posse verosimilius esse, se se exserat, nec proinde gradus solum admittat suos, sed in varias etiam species distribui soleat a Philosophis. A gradu enim probabilitatis orta est tam probabilis, quam minus probabilis opinio: pro ut rationes probandi illis maiorem; hic minorem veri de se diffundunt similitudinem (e). Perinde ab eventu descendit, quod alia tuta; alia minus tuta dicatur opinio (f): quarum illa a peccati damnique periculo plene liberat; quod hæc saltim occultat, uti liquet, ex minus tuta Moralistarum opinione de compensatione occulta, quam ministris commendant. Quibus accedit divisio, a subiecto petita, inter opinionem singularem atque communem: hanc autoritas multorum; illam unius sæpe iudicium fulcit ac sustentat; utrinque, probabilium rationum usu sive præcedente, sive interveniente (g).

(e) Quæ divisio sub initium huius sæculi dedit occasionem Moralistic Pontificiorum, ut in duas sectas abirent: una Probabilioristarum est, qui severiorem in rebus moralibus viam ineunt; altera probabilistarum, laxi adhuc existunt morum corruptores magis, quam correctores. Singulorum hypothesebus sub examen vocatis, prioribus accessit Iosephus Riccius, e societatis Iesu Pater & Professor Neapolitanus, ut in Fundamentis Theologiæ moralis a se editis videre cuique licet. Quamvis igitur proba-

bilibioristæ putentur meliores esse *Probabilistis*; nondum tamen eos omni culpa carere, exinde manifestum est. *Probabilior* enim *opinionem* statuunt eam esse, quam *plures* morum *doctores* sequuntur. Sed in ferendis *suffragiis* haut raro accidit, ut *melio-*
rem pars *maior* vincat. Ut taceam, quod *opinionis* studioso, non ad *suffragiorum numerum*, de quo §. I. *præc. not. (c)*. refutatio consulatur, sed ad *rationes* eorum attendi debeat. Malim igitur hac in parte & Hugonem Grotium sequi, in *Lib. II. de I. b. & p. cap. XXIII. §. IV.* intendentem ad *ἔνδοξα* argumenta potius, quam *testimonia*, & Pufendorhium de *I. N. & G. Lib. I. cap. III. §. V.* propterea distinguentem inter *probabilitatem facti & iuris*. Qua ratione uterque horum conscientiæ *probabili*, qua maxima pars mortalium regitur, melius consuluit, quam *Moralistæ* instructissima phalange doctorum suorum.

(f) De huius distinctionis usu plura non adferam, quem in §. *sequ. III. de opinionum electione* traditurus sum.

(g) Quibus ex dictis patet, quid iudicandum de illa doctorum sententia, existimantium, pro *opinionem communi* militare *veritatis* præsumptionem. Etsi enim fateor, plures videre melius ac invenire *verum* posse, quam unum; nihilominus cum sæpe contingat in *singulari opinione* analogiam ut *doctrinæ*, ita *rationes probabiles* prævalere; ideo deserta *communi*, cuius *veritatis* præsumptio sic elisa est, nullus dubitaverim, *singularem* amplecti, præsertim si *communi* etiam *tutior* esse apprehendatur. Notetur exemplum quod §. III. *not. (b)* excitatum est.

§. III.

Quibus præmissis, nemini invideo, aut veto, *opinionem* sequi, modo id faciat *cum delectu* (h). Sic in *opinionum* concursu, aut etiam collisione ea præferenda est, quæ *tuta*, quia agentem retrahit magis a *peccati & damni* periculo, tametsi altera *probabilior* esse videatur (i). Adeo, ut in ferendis *suffragiis maior* pars quandoque vincat *melio-*
riorem, & errores quoque *specie veri* parum cautis imponant. Unde hanc ob causam nec *communem* ubique *opinionem* eligere licet, quæ sæpe *pravis* populi *moribus* acomodata (l), nec proinde *rationis sanæ* iudicio defæcata est. Simili ratione nec illa *opinio*, quæ *devota* magis adparet, quam *revera* existit, erit amplectenda. In primis
cum

cum species *devotionis* haut sufficiat, quam maxima pars *idololatriæ*, *superstitionis*, aliusque *cultus electivi* præ se fert. (n).

(h) Equidem D. Io. Balthasar Schuppius in *oratione de opinione*, & D. Ephraim Gerhard inter recentissimos in *Delin. Phil. Ration. Lib. II. Cap. VII.* de diiudicatione opinionum egerunt sed vereor, ut lectoris desiderium uterque implere possint. Quare meritis, & in Ecclesiam, & in Rempublicam litterariam, conspicuum virum D. Io. Steuberum commendo in *Tr. de conscientia*, ubi de *opinionum electione cap. IV. l. c.* præclare disleruit.

(i) Quæ *opinio* aliis *probabilior* reputetur, prolixè deduxi cum §. I. not. (c), tum §. II. not. (e) & (g). Casum in præsentì, exhibere libet, quæ delectum hunc illustrare potuit. Servus alicuius domini mercenarius morbo decumbit, quem tamen operarum, sibi impositarum, gravitate non contraxit, tunc de alimentis non minus, quam mercedis solutione incidit disceptatio. *Opinio* prior, eaque *probabilior* iuris tam *dispositione L. 15. §. 2. D. locat.* quam *ratione* nitens, putat nec alimenta, nec mercedem deberi, utpote quæ operis respondeat, casumque adversum faciens sentiat. Sed posterior, eaque *tutior opinio*, si non mercedis; nihilominus alimentorum suadet præstationem, domino ad *tempestivam misericordiam* obligato, præsertim si antecedens servi diligentia, & spes subsequaturæ operæ illam mereatur. Dignus est, qui ad decisionem hanc evolvetur Samuel Pufendorfus in *Lib. V. de I. N. & G. cap. V. §. II.*

(l) Egregie populi pravos adfectus Iulius Cæsar expressit *Lib. VII. de Bell. Gall. cap. 47.* *Impellit alios avaritia, alios iracundia & temeritas, quæ maxime illi hominum generi est innata, ut levem auditionem habeant pro re comperta.* Hinc etiam provenit, ut vulgus ex *veritate* pauca, ex *opinionem sua* multa æstimet. Cui *persuasioni* ita indulget, ut, quæ vult, & credit libenter, ei quæ idem sentit, reliquos sentire speret. Vid. Idem scriptor *de Bell. Civil. Lib. II. cap. 27.*

(m) Videant, qui se excusent, imperii occidentalis decremента *mutatæ religioni paganæ* tribuentes, quod ea tot Numinum metu arctius homines contineat in obeundis officiis suis. Num culpa hac omnino vacet Nicolaus Machiavellus, cum nemine disceptabo. Minimum in *Lib. II. de Republica Diss. V.* meliorem opinionem fovisse videtur: licet alibi in paganam aliis etiam paullo benignior esse offendatur a D. Conringio, exactissimo eius censore

in Animadvers. ad Machiavell. Princip. cap. XXV. n. II. Italos autem nonnullos *opinionem* hac imbutos fuisse, argumento esse poterit Thomæ Campanellæ scriptum, cui titulus præscriptus de *Gentilismo non reducendo*. Sed ego manum de hac tabula, viris Theologis relicta.

§. IV.

Proclive non erit ad iudicandum, quid *opinionem veræ*, quæ censu *virtutum intellectualium* inclusa est, opponatur. In defectu occurrit *dubitatio* (n), qua iudicium suspenditur in re cognita, ubi aliquis *adsensus* præstandus erat. Maxime quod *dubitans* rationum vim *probandi* penetrare nequit, vel *pari testium autoritate* se abduci patitur, ut nihil definiat etiam *in re minus ardua*. In excessu nimia *probabilitatis admiratio*, qua explosa ac proculcata omni rerum certitudine, tam divina, quam humana, sine ullo discrimine fluxa & constantia *hominum opinionem* subiiciuntur. (o).

(n) Miror Io. Clericum *Logic. P. II. cap. IX. §. 14.* *dubitationem* reduxisse ad *gradum*, licet *minimum*, *opinionem*. Cum hæc intellectus nostri *virtus* sit; illa *morbus*: ubi hæc *iudicat*; illa *suspendit* iudicium; & denique quoties illa *præbet assensum*; hæc istum *intercipiat*. Neque obstat, quod DN. Præses in *Fundam. Phil. Rational. cap. III. §. 10.* ad remedia, quæ *præiudicia* tollunt, ac intellectum humanum *emendant*, *dubitatione* ipse retulerit. In notitiam hic perferendum est, quod ut Medici febrium tuentur *salubritatem*; ita Logici, *dubitationem emendare* intellectum, huc usque adseruerint. Liberant enim *dubitatione sua* a *præiudiciis*, purgant ab *erroribus*, a *fluctibus dissensionum* eripiunt, ut præparatis ita ingeniis *veritatem* infundere possint. In limine igitur non minus concedunt, quam in *progressu Philosophiæ* *dubitare*, at *sobrio usu*, quamdiu *dubitatio* tot malis evitandis *remedio* esse poterit. Deinde non conducit Clerici sententiæ, *doctos* plus *dubitare*, quam *rudes*. Nam evenit hoc, in *doctis* e sensu humanæ *imbecillitatis* circa res cognoscendas atque eligendas, quam *rudes* vel non adsequuntur, vel perceptam quoque adspernantur. Sic *viri* pariter plus *dubitant*, quam *iuvenes*, ut propterea tamen nihil *perfectiōis* redundet ex *iudicio virili* in *dubitationem*. Cum *viri* obiectam sibi in rebus tam cognoscendis, quam eligendis
difficul-

difficultatem acrius penetrent & attendant, ac *iuvenes*, qui illam ex *præcipitantia* sua prorsus negligunt. Quare nihil causæ habeo, cur *dubitationem* alio transferre loco debeam.

(o) In propatulo est, tantam *probabilitatis* admirationem, quæ ad *res omnes* extenditur, præsertim ad illas, in quibus *exacta* & *certa* sententia obtineri potest, plurimum *dummi* inferre Reipublicæ litterariæ. Quodsi enim *de rebus singulis* in utramque partem disputare ac sentire licet, quidquid libet, via ad *atheismum*, *scepticismum*, aliosque Philosophorum errores sternitur. Non operose igitur in eis discutiendis me morabor, præsertim cum de *probabilismo*, qui maxime Iesuitarum onerat scapulas paullo ante disseruerim *præced. §. II. not. (c).* & DN. Præses in *Disp. de otiosa morum scientia* illum e fundamento evertere pro viribus adlaboraverit. Cum adeo *illimitata libertas* in moribus vitæ eligendæ quamlibet *opinionem*, modo præsentis statui *congrua* sit, & ab aliquo morum doctore *adprobata* fuerit, in *errandi* ac *delinquendi* licentiam definere debeat. An vero nuperus iste Angliæ scriptor Io. Tolandus in *libro de cogitandi libertate*, ut DN. Treuero, non incelebri Helmstädiensium professore, placet in *Disputatione*, quas *limites* illi *cogitandi libertati* posuit, eo progressus sit; & adprime displicuit tam acerba censura DN. D. Kochio in eadem Academia meritissimo Theologiæ ac Philosophiæ interprete in *Disp. de sententia media* contra illam dissertationem, explicata, ratio instituti mei non permittit, ut, qua par est animi solertia, excutiam. Susceptum pro parte dudum est eius *libertatis cogitandi*, a Tolando defensæ, examen a DN. Præside in *Disput. de Credulitate cap. II.* Mihi restat nihil, quam ut valere iubeam *nimie probabilitatis* admiratores, utpote qui *atheismo* inveccto e genere humano *fiduciam*, *probabilismo* e consortiis vitæ *innocentiam*, *scepticismo* suo e scholis omnem *constantiam*, *scientiam* atque tantopere omnibus necessariam, *experientiam* improbo labore expellere conantur. Conf. *Cap. II. §. II. not. (g).* ubi *scriptorum* hæc de re effugia remota fuerunt.

§. V.

Sed *media* nunc expendenda sunt; quæ, tam *naturæ*, quam *doctrinæ* ordine sic dirigente, pro *adquirenda opinione* nusquam non commendantur. Etenim in *intellectu* præsupponit *promium* ac *secundum ingenium* (p), quo instructi facile de rebus singulis aliquam *opinionem* hauriunt.

Memo-

Memoria etiam non nimis *labilis* existat, quæ *experientia* inservire debet, plures *observationes* colligenti, ad usumque adplicanti. Hinc ad *opinionis* fontes ab antiquis non minus, quam recentioribus Philosophis relata est *experientia* (r). Accedente tam animi *adfectione*, (s) quam *ratiocinatione* nostra. Cui vero in intellectu formandæ interserviunt, non *præsumptiones* solum ac *coniecturæ* (t), sed & *definitiones secundariæ* atque divisiones *instrumentales* (u). Siquidem ad id cognoscendum singulæ *preparant* intellectum quod in eo paullo post *scientia* ipsa *perficere* solet. Neque a *mediis* adquirendæ *opinionis* excludo *locos dialecticos*, quia sedem præstant eorum argumentorum (x), quæ *probabilia* identidem adpellavi. Ubi etiam *interpretatio* hic in subsidium vocanda est, *usualem* præfero *doctrinali*: quia in *rebus seculi* (y) maxime admittitur *opinio*, ne certum solidumque *principium* pro eis indaganti, *occafio* præteriret. Ac tandem *disputatio*, quæ ex concessis instituitur, ea pollet vi atque efficacia, ut dissentientem ad necessarium sibi oppositi metum perducatur, eique opinionem nostram multo verosimiliorem esse persuadeat,

(p) Non excluso *iudicio*, sed *ingenio* saltim prævalente. *Opiniones* enim oriuntur ex *imaginationibus* ac *perceptionibus*, quæ ab *ingenio* procedunt. Facilius ergo iuvenes, quam senes ad *opinionem* perducuntur, quia hæc *ætas* abundat *imaginationibus* rerumque *inventionibus* maxime indulget, aliisque actibus, qui *ingenio* prompto conveniunt. Sunt, qui a dispositione *temperamenti sanguinei* ceterisque in cerebro circumstantiis naturalibus aliquod pro *opinionem* repetunt adminiculum. Cum celeritas motuum in sanguine adiuvet, ut *inventionem*, ita, quæ hanc sequitur, *opinionem*. Quorum sententia, ut limitibus suis includatur, necesse est. Ne fortassis cum Benedicto Spinoza ex *Lib. II. de Libertate Philosoph. c. II.* in tantum se præcipitet errorem, quo donum *Propheticum* ab hominibus ingenio tantum, aut temperamento sanguineo-Melancholico, pollentibus derivare haut erubescat. Cuius causa merito vapulat a Io. Musæo in *Tr. de libertate Philosophandi*, a Ioh. Durrio in *Oratione de impia libertate Philosophandi* & a Zentgravo in *Dissat. de Furore Poetico* p. 10. Altioris originis illud esse, hi dudum demonstraverunt.

(r) Cir-

(r) Circumspecte ad *virtutem* hanc intellectualem adplicanda est est *experientia*, quæ *scientiæ* etiam opem adfert, sed *diversa* ratione. Principio igitur notandum, quod *experientia* omnis nitatur plurium *observationum* collectione & memoria: quæ magis tamen *propria*, quam *aliena* esse debet. Deinde in *observationibus* illis, si *nullum contrarium* invenitur exemplum, tunc harum *inductio* parit *scientiam*, ut supra dictum est: si *plura* eaque *frequentiora* recurrunt exempla *contraria*, gignunt *errorem*: si denique *raviora* saltim deprehendantur, quæ obstant experto, tunc *opinio* producit. Qui tali *experientiæ* tamdiu innittitur, quamdiu *contrarium* exemplum, a quo sibi metuit, *opinionem* imbutus, non adparuit.

(s) Minimus *verosimilitudinis* gradus est, qui *voluntatis* nostræ *adfectione* nititur. Adeo ut, a *posse* ad *esse* non procedere argumentum, de quo *præsed. §. I. n. (c)* ita nec a *velle* ad *esse* id ipsum *valere*, merito defendatur. Notum enim est, quod *voluntas* sæpe ad *impossibilia*, *absurda* & reliqua feratur, quæ materia *verosimilitudinis* esse non possunt. Propterea tamen *adfectus* non plane desinunt esse vel *media*, vel *impedimenta* opinionis nostræ. Atque hinc evenit, si quem *amore* prosequamur, bonum; cui *odio* infensi sumus, malum fore, *opinemur*. Quod prudentiores artium interpretes probe animadvertunt, quoties eam ob causam argumentum *ab invidia* in Theologia, *casum pro amico* in Iurisprudencia iudiciaria, itemque Medicorum, qua utuntur, *propriam dietam*, admittere nolunt.

(t) Cum *ratiocinatio*, quæ ad *opinionem* ducit intellectum, in *presumptiones* resolvatur atque *coniecturas*, de iisdem pariter agendum erit. Equidem *coniecturæ* e signis *propriis* deductæ ac illatæ sunt ratiocinationes, ut si ex *sermone* inferatur ratio, aut quoties ægrotus sperat, dum *spirat*. In eo discrepant a *presumptionibus*, quæ *ex communibus* etiam signis erruuntur ac deducuntur. Unde eorum non penitus damnanda est sententia, ita statuentium, *presumptiones* ab *externis* personarum ac rerum circumstantiis pendere, quæ ut *aliquid* de veritate saltim *delibant*, ideo non tam rem ipsam tangunt, quam *externam* eius *relationem* aliumque *modum*, & proinde *oppositi* formidinem reliquunt. Sic *rubor* in vultu signum est *verecundiæ*, nihil impediente, quominus & *vindictæ desiderium* significet. Interest itaque omnium, quibus *opinio* curæ est, ut ad *circumstantias* sedulo attendant, quod *minima* illarum idonea, quæ *verosimilitudinem* sive augeat, sive gradu suo deminuat. Qua mente Iurium consulti in *casuum* decisione, Physici in *experimentis* tam naturæ, quam artis, hi-

storici in *factis* ac *fatis* discernendis, alique in *negotiis* aliis, *circumstantiarum* investigationem ac *comparationem* summo opere urgent ac commendant.

(u) De quibus nullum est dubium consideranti, quod *opinio* sit cognitio rei *minus evidens*, cui definitiones *secundariae* sive ab externis rerum *circumstantiis*, sive ab effectibus formatae, conducunt. *Instrumentales* vero *divisiones*, quae ut omnibus disciplinis *communes* sunt, ita ad *praeparandum* intellectum recte destinantur. Iudicium de his, ne *nimum subtiles*, ac *obscuris* vocibus *involutae* adhibeantur, alibi D. Praeses interpoluit in *Process. Disp. cap. X. §. 9.*

(x) Plurimum *loci dialectici* faciunt ad *praesumptiones*, quae *regulis* egent, in his comprehensis, ut *praesumentem* in ipsa dirigant ad applicationem. Inter ceteros adprime conveniens esse videtur *locus effectuum*, ubi talis causa *praesumitur*, qualis effectus. Multi adfectant dignitatem, aut officium, ut *bene meritis* instructi esse *praesumantur*, quae alias utriusque collationem praecedere solent. Neque desunt *regulae in loco adiunctorum*, sub quibus & *signa* contineri notum est, quae *pro sint praesumentem*. Sic *posito signo, praesumitur* signatum, quod ex pallido vultu liquet, unde *timiditatem* aliqui arguunt. A *comparatorum* loco uberrima *praesumptionum* mensis carpenda est, simul ut *par pari gaudet* habere, adeoque ex socio noscitur, qui alias ex se ignotus fuisset. Praeterea *fecundus* etiam hic est *oppositorum* locus, a quo *opposita consequi* diu multumque ostensum est. Quare legitimus *praesumitur* ex iustis, aequae ac illegitimus ex iniustis nuptiis, natus. Male ergo consuluit *Autor Art. Cogit. P. 3. cap. XVII. p. 115.* qui *praesumptionibus* tam in foro, quam in quottidiano vitae consortio utuntur, impugnando *Locos Dialecticos*. Si enim in eis rationes *probabiles a necessariis* separentur, quarum haec *scientiae*, illae *opinionum* adplicantur, nihil reperio, quo *loci* illi reici queant. Quorum vindicias in se suscipit B. Junkerus in scripto de *usu locorum Dialecticorum*. Magnum eos locos usum praebere in disputantium conflictu tueretur. DN. Praeses in *Proc. Disp. Cap. V. §. 12.* Atque institutum hoc brevi post calculo suo adprobavit, in Academia nostra Theologus de Ecclesia & Republica litteraria meritissimus D. Ioachimus Langius in *Methodo Disputandi materiis Theologicis accomodata in Cap. III. Memb. II.* ubi vel ultima regula n. 40. expressa testabitur, quantus utrinque de *probabilitate*, *aquisitae opinionis* matre, sit consensus.

(y) Immo maxima pars *regularum*, quae *prudentiam humanam* regunt, a *probabilitate* descendit. Sed quoniam his ad quottidianas

dianas

dianas vitæ nostræ actiones utendum, utique captanda erit ob-
lata *occafio*. Adeo, ut femel amiffa vix redeat. Qui ergo in
fingulis rebus, quæ in *ftatu civili* fibi expediendæ, *certam* defi-
derat, aut præftolatur, *veritatem*, illi femper *dubitandum*.
Dum vero *dubitat*, fugit *occafio* agendi, ipfoque excidit *defi-*
derii fui eventu. *Vigilandum est*, monitore Seneca ep. CIIIX.
nifi properamus, relinquitur. Exemplo effe poffunt *confilia*, quæ
ex arena capiuntur.

§. VI.

Opinionem, quam hæcenus expofui, impediunt, ex
parte *intellectus*, quæ *ingenio* adhæret, *tarditas* (z). Ra-
tionibus, eisque *verofimilibus*, niti *opinionem*, læpe dictum
eft. Sed eis excogitandis *prompto* ac *felici* opus eft *ingenio*.
Quam ex parte voluntatis auget *timiditas*, qua, *plus* quam
par erat, *oppositum* aliqui *formidant* (aa). Eft quidem opi-
nio tantum non omnis cum *debili* rei cognitæ *adfensu* con-
iuncta. Verum *opinionem*, ut aliæ virtutes *intellectuales* fo-
lent, *gradus* fuos admittente, *nimia* *oppositi* *formido*, quæ
voluntatem femel incefſit, ita crefcere poteft, ut *affen-*
ſum pæne omnem *extinguat*. Et qualifcunque rerum in-
ter fe *ſimilitudo* parum *cautis* imponit, ut *veræ* *opinionis*
iacturam faciant, quando vi illius *vera* cum *falsis* temere
permifcent (bb). Neque methodus *ſectaria*, cuius co-
mes *polemica* eft, ufquam deficit, quæ *opinionem* elidat:
cum tamen hæc ab *electione* non *originem* modo fuam, fed
& *incrementa* capiat (cc). Præter *timiditatem* quam fu-
pra reprobavi, ex parte docentium etiam *impedimento* eft,
quod *antiquæ*, aut *communis*, fe addicant *opinionis* (dd).
Mirum ergo nemini videbitur, difcipulos prava *imitatione*,
animi *inconfantia*, & vaga vitæ *conditione* impeditos, *opi-*
nionem bonam, ſibi comparare non potuiſſe.

(z) Neque mihi obſtat, quod *tarda* ingenia ad ſolida ſtudia magis
apta ſint quam nimis *agilia*. Primo hic agitur de *inventione* ac
delectu *opinionum*, non de *ſcientia*, quæ in ſolidis ſtudiis verſatur.
Vid. §. V. hoc cap. & not. (g). Deinde dicitur magis, quam ex-

perientia satis probatur de *tardis ingeniis*, quod in solidis studiis profecerint. Denique si profectus isti paullo accuratius ponderentur, non ab *ingenii tardi aptitudine*, quæ parum abest, quin irruat in contradictionem, sed ab *arte & usû*, naturam subigente ac vineente, provenerunt. Vid. D. Morhofius in *Polyhist. L. II. C. I. circ. fin.*

(aa) Philosophum decet, ut recte *faciendo*; ita recte *sentiendo* neminem timere. Si quis ergo sibi *metuit*, *iusta* debet adesse *causa*. Iam vero in *opinante* hæc est, conscientia *imperfectæ*, aut *parum evidentis*, de quacumque re perceptionis suæ. Inde alibi dictum, *vulgus* paullo liberius indulgere *opinionis suæ*, quam *doctos*. Quas enim hi *difficultates* sentiunt in cognitione suâ; illud, quæ animi est *præcipitantia & inadvertentia*, semper negligit. Verum providendum est doctis, ne nimis ab *opposito* sibi timentes, in *scepticam dubitationem* incidant; ac *opinionem* ita excludant. *vid. supra §. IV. not. (o).*

(bb) Quo nomine Heraclitam refutavi. §. I. n. (b). ibique simul *impedimenti* huius feci mentionem, ut actum agere non liceat.

(cc) Palam vero omnibus est, propterea alicui *sectæ* addictos viam pro consequenda *opinionem* sibi præcludere, quia in ea persuasione hærent, a *sectæ suæ* autore omnia funditus *exhausta* esse, ut sibi, præter *sequendi gloriam*, nihil relinquatur. Et postquam eam, quæ a *sectæ conditore* inventa est, *opinionem* se percepisse arbitrantur, in hac *sibi placent*, omnesque aliter sentientes iuxta se *contemunt*, aut si adversos offendant, contra illos acriter *disputant*. Unde simul adparet, quomodo *methodus polemica*, quæ controversiis *citra necessitatem* indulget, damno esse possit in comparanda *opinionem*. Pro singulis notissima hæc Senecæ facit sententia, *multi ad sapientiam* (aut *opinionem saltim*) *pervenissent, nisi se iam pervenisse putassent*. Sistat enim, necesse est, qui nihil amplius sibi *restare* existimat, in quod tendat, & tamquam ad *extremum* pertigerit, quiescat.

(dd) Quanta prudentia opus sit in *opinionum electione*, in primis si *communis* cum *singulari* collidat expositum est §. III. not. (k). Ex præiudicio itaque *autoritatis* accidit, cum nonnulli ita inferunt; *Opinio hæc adversatur communi opinioni; Ergo falsa est; cum tamen communis opinio sæpe communis error* est. Is qui exinde cognosci poterit, quia dantur *communes opiniones* contra *communes*. Si igitur *communis opinio* semper *vera* esset, tales non darentur, quia *verum vero* consonat. Sic etiam de *antiqua opinione* iudicandum, quod *durationem* magis, quam *veritatem* designet. Ideo non fugienda est *opinio nova*, si modo ad *honestæ omnia*, atque

atque ad exhibendam superioribus *obedientiam* ducat, prout ex-
istimat Hugo Grotius *de I. b. & p. Lib. II. cap. XX. §. XLIX. n. 1.*

§. VII.

Neque *opinionis* hæc, quanti etiam ab aliis æstimentur, adeo difficilia sunt *impedimenta*, ut removeri nequeant. Certe *tarditas* illa *ingenii* sæpe averfa fuit longe melius *exercitatione*, quam *arte* quadam, etsi ab ipso Raymundo Lullio excogitata (ee), aut minimum huic æquiparata. Quisque de *opinionem* sollicitus destinat intellectum suum tam rebus *inveniendis* (ff), quam *inventis* inter se *componendis*, levi opera potietur fine suo. In voluntate *oppositi* formido expellitur, quoties ad studium *veri boni* illa dirigitur, & quod ceu *damnum* præfens, vel futurum *periculum* in semel arrepta *opinionem* metuitur, vanum atque adparens esse demonstratur. Pari ratione de falsis rerum *imaginibus* dicendum, qui homines turbare non possent, nisi eisdem *malitia sua* dedissent occasionem (gg). Quod vero a *methodo* se ingerit impedimentum, *via electica* superari potest. Per *sectas* ergo dispersam *veritatem* quisque colligat (hh); nec tamen sibi persuadeat, ab una *sectarum* omne verum exhaustum esse. Ita nec cum ullius *contemptu*, aut cum *contentione* eliget *opinionem*. Si denique ex parte *docentium* probe notetur, quod *communis opinio*, ut plurimum *communi errore* attaminetur (ii), nec *antiquissimum* ubique sit verissimum, tempore hic nullam efficaciam habente, quod sibi obstare videtur, haut ægre vincet *impedimentum*. Ex parte vero *discientium* *vaga imitatio* aboletur, si vero, non falso: nec malo, sed *bono* accomodetur. Atque *inconstantia*, quia magis *voluntatis*, quam *intellectus* vitium est, aufertur *boni veri* amore, quem Philosophia moralis præscribit. Unde cuivis addiscere licet, quanti intersit se ab *incerto vitæ genere* liberasse.

(ee) Ars quidem *Lullistica* est ars de re qualibet copiose *differendi* occasione data a certo, vel prædicato vel subiecto propositionis.

Sed dum medelam adferre vult ingenio Lullius, perdit iudicium nimia rerum copia illud obtundente. Falsus quoque Lullius est quando verborum copia omnem sapientiam metitur. Sic enim accidit, ne tam intellectum in opinando, quam in eloquendo linguam adiuvisse videatur. Conf. Cap. I. §. I. not. (c). pag. 7.

(ff) Quorsum modi inventionum pertinent, a Bacone Verulamio laudati de Augment. Scient. L. V. cap. II. ut translationis, variationis, extensionis, & similes. Refert hos, explicat, exemplis simul illustrat, ex omni artium genere petitis D. Sebach in P. III. Systemat. Logic. Lib. I. Tit. II. §. XIV. In singulis ita excitatur coliturque ingenium, ut iudicio partes suæ relinquuntur. Ac proinde eorum usu ad comparandam opinionem cuiusvis aditus est apertus.

(gg) Intus ergo habent homines, quod eos impedit; in rebus ipsis, ut a DEo conditæ sunt, nihil falsi fictique datur. Mala sæpe maiora videntur, quam sunt, quoniam idea eorum molesta semper in mente oberrat. Ita in naturalibus mors adeo mala non est, quam homines opinantur. Alias inter paganos Socrati, apud Epictetum in Enchir. d. cap. X. & inter Christianos Mediolanensium præfuli, Ambrosio, qui Librum de bono mortis conscripsit, talis visa fuisset. Sed quia imago mortis, ut mala concipitur, ideo ipsa de malo mortis receptior opinio permansit. In civilibus tributa tanto oneri non sunt, quanto ex civium opinione ipsorum humeris incumbunt. Et, si usquam Thomas Hobbeseus in Lib. II. de cive cap. IV. præclare sensit, & ingeniose disseruit, certe hoc in casu factum existimo. Incubo comparat onus, de quo queruntur eives, tributorum. Ex communi opinione habetur pro malo externo, cum tamen id quod premit, in ipso sanguine & mala eius dispositione in corpore situm fuerit. Neque veniam merentur, ita se excusantes: mundum regi opinionibus. Principio hæc turbamenta vulgi sunt, quæ D. Becmannus singulari dissertatione tradidit. Deinde in civilibus, tantum non omnibus, procedit, ut opiniones regnent. Nam potissima pars vitæ civilis in probabilibus, aut externis, occupatur. Denique alia est opinio consultata; alia temeraria. Egregie actum fuerit cum mortalium genere in mundo, si ab illa potius, quam ab hac homines regerentur. Consultata enim est, quam Philosophi in virtute ponunt; sed temeraria, qua vulgus se oblectat, vitio eius ignoscit. Recte Seneca de vita beata cap. II. Non enim colorem vestium, quibus prætexta corpora sunt adspicio, oculis de homine non credo. Habeo melius certiusque lumen, quo a falsis vera dijudicem. Animi bonum animus inveniat.

(hh) Con-

(hh) Consilium hoc Hugo Grotius suppeditat, dignum quod sequamur in *Proleg. de I. b. & p. §. XLII.*

(ii) De quo pluribus præcepi §. III. not. (k). & §. VI. not. (dd) & *Cap. I. §. III. not. (i). pag. 10.* ut hic subsistere possim.

§. IIX.

Reliquum est, ut de *signis* acquisitæ *opinionis* sub finem dicatur. Nempe in *cognoscendo* observatur haut exigua *cautio* humani intellectus circa ferendas sententias. Cum enim parum evidens ac minus certa cognitio occurrat (ll) in *opinione*, inde oritur *cautio*, quæ ab *errore* avocare potest. In *eligendo* *prudens* quædam *dissidentia* (mm), quæ voluntas adficitur, quia cum *oppositi* formidine semper coniuncta est *opinio*. Quam in *docendo* sequuntur *temperamenta* (nn) ut vocantur *Philosophica*, quæ rursus notis, *fortasse*, *videtur*, aliisve exprimuntur ac indicantur. Atque hinc etiam in *refutando* dependet *moderatio*, quia opinantes ipsi in formidine *oppositi* versantur (oo). Interest eorum, ne adversarios vel novos excitent vel, excitatos reddant sibi acerbiores.

(ll) Superfluum est, operose ea repetere, quæ de *minus evidentiis* cognitionis fontibus disserui §. V. not. (r). *seqq.* Liceat ibidem explicata verbis Donati in *Terentii Andr. act. 2. scen. 2.* obsignare: *Contra opinionem certa res est; qua autem opinamur, putamus, incerta sunt.*

(mm) Cum *fidere* non minus noceat, quam *dissidere*. Inde *opinionem* imbuti, quoties *dissent*, probe perpendunt, quæ sibi opponi possint. Vnde ne *gravi* quidem *opinionem* temere assentiuntur, ab *errandi* periculo sibi *caventes*. Quod *dissidentia* genus, ut cum *prudencia* delibutum esse debuit, ita *audacia* non *contrarium* modo existit, sed *firma* etiam animi *confisioni* cedit, quæ *scientiam* indicavit. *cap. II. §. IIX.* Ne quidquam vero *viti* trahere exinde possit *dissidentia*, ut cum *prudencia*, quæ illam dirigit, tum *ardua* res, quam percipit *opinio*, satis abundeque declinare soleat. *Longum fieri amorem*, quem *dissidentia* nutrit, Philosophi *morales* dudum observarunt. Perinde *Logicorum* nemini erit ignotum, *consultam* *lore opinionem*, quæ sub *prudente dissidentia* erumpit.

(nn) Mos

- (nn) Mos erat & Imperatorum & Romanorum Iureconfultorum, in *rescriptis* ac *responsis* suis *to videtur* uti, *arrogantiae* vitandae causa. Praesertim si in *decidendis* dubiis litibus occupati forent. Unde aulae istius aequae ac *curiae* stilum callentes, bene intelligunt, eadem verba non *enunciative*, sed *dispositive* saepius accipi. Quod diligenter adverterent, *virtutis* huius studio dissentientes nunquam, ut alias usu venit pro saeculi genio, indigne haberi.
- (oo) Immo experientia edoctifuerunt, quod homines in errore saepius, quam veri cognitione versentur, id magis vero aliena, quam propria culpa evenire. Unde, quae, paullo superius de disputatione contra errores potius, atque errantes commendavi, his pariter lucem suam affudent. Conf. Cap. II. §. V. not. (bb). p. 25.

CAP. IV.

DE

FIDE.

SUMMA.

Fidei origo atque definitio exponitur §. I. Quam sequitur differentia

1) ab aliis virtutibus intellectualibus, scientia & opinione;

2) in testimonii evidentia, ut ab evidentia rei distincta est, not. (a).

Deinde fidei ambiguitas evoluitur, missa fide morali, retinetur intellectualis, quae est vel passiva, vel activa: posterior magis, quam prior huc pertinet, not. (b)

Porro materia fidei intellectualis traditur

(1) ratione qualitatis, res tam divinae, quam humanae.

(2) ratione eventus in praeteritis humana; in futuris divina: utraque tamen magis circa facta, quam iura versatur.

(3) ratione modi cognoscendi ad res tam universales, quam singulares pertinet. Unde distinctio inter fidem philosophicam & historicam dependet, not. (c).

Fundamentum denique fidei collocatur in autoritate, cuius indoles, ex opinione perfectionis aestimatur, quae ex parte

parte intellectus est scientia; ex parte voluntatis virtus, & cum primis veracitas n. (d).

Divisio fidei in simplicem & qualificatam, utriusque explicatio. §. II.

Simplicis fidei discrimen a cæca per rationes demonstratur. Ludovici Vivis iudicium præclaram de fide cæca. n. (e).

Ratio fidem non tollit, sed temperat sive in schola, sive in curia: unde fides rationabilis orta, & obiectio soluta est. (f).

oppositum fidei in excessu est credulitas; in defectu incredulitas §. III.

Credulitatis (1) damnum pro parte intellectus, cuius excludit iudicium (2) origo a præiudiciis tam præcipitantia, quam autoritatis humanæ & cæcæ obedientiæ. (3) contra eam remedia (4) credulitatis possessores. not. (g).

Incredulitatis instituta est (1) comparatio cum credulitate (2) enarratio damnorum, quæ ex illa sequuntur. Notatur Gothofredus a Valle, not. (h).

Media fidei producendæ sunt testimonia tam divina, quam humana: atque posteriora rursus sive publica, sive

privata. Publica iterum dividuntur in communia & singularia. Iudicium de singulorum adplicatione insertum est §. IV.

(1) DEI testimonium Theologi potius, not. (i) quam Philosophi expendunt, & quomodo hi eo utantur? DEum iure dominii eminentis nec velle, nec posse homines testimonio suo fallere cum Platonis sententia, tum ratione probatur. Quæ ratione fides divina credat tam historiæ, quam effectui eius? not. (i) (k).

(2) Principis testimonium cum eo, quod DEi erat comparatur, ut illud præsumtive, hoc vere infallibile sit. Platonis & Grotii error refutatur, quo statuerunt, ille quod Princeps vi publici imperii, hic quod vi dominii eminentis, fallere possit. not. (l).

(3) doctorum testimonia, quorum effectus in discipulis, impedimenta a dissensu cum inter se, tum a semetipsis observato, una cum modo eligendi & sibi ab eo cavendi expenduntur. not. (m).

(4) de plurium testimoniis, quibus circumstantiis a collusionem liberentur, veraque esse probentur. Q. Curtii sententia

G

tia

ia de fide historica laudatur
not. (n).

(5) singulorum testimonia,
sine valida reddantur, & cur
in arte sua cuilibet creden-
dum? Quibus limitationibus
hæc quæstio indigeat. De te-
stimonio pauperis non postpo-
nendo in rebus cognoscendis
testimonio divitis. Quo nomi-
ne lo. Clericus refutatur. n. (o).

Impedimenta fidei obiciun-
tur (1) ex parte intellectus,
ignorantia eius perfectionis,
quæ in teste necessaria est co-
gnitu (2) ex parte voluntatis,
nimius erga testem amor. (3)
vitia ex parte docentium ac di-
scentium remissive adducun-
tur (4) ex parte methodi par-
tim in testimoniis nudis, par-
tim in superflua doctorum al-
legatione. §. V.

Notitiæ in fidei studioso ne-
cessitas. Exemplum Hadriani
Imperatoris laudatur. Regu-
la de valore testimonii. n. (p).

Effectus amoris perversi er-
ga testem, præsertim in de-
crementis artium, in priva-
tione proprii iudicii. Cicero-
nis iudicium hac de re lauda-
tur. Germanorum ab hoc im-
pedimento se excusandi for-
mula. Inductio aliorum ef-

fectuum noxiorum, qui ex illo
amore oriuntur. not. (q).

De vitis docentium ac di-
scentium, fit remissio ad ante-
dicta. not. (r).

De superflua doctorum alle-
gatione, qua fiat intentione
& quomodo a Seneca reiicia-
tur. not. (s).

Quibus modis impedimenta
removeantur, quæ fidei obiecta
fuerunt, ostenditur §. VI. Sic
tollitur

1) ignorantia, ea, quæ ad
fidem comparandam necessa-
ria est, cognitione perfectio-
nis in teste. Quid de illa sen-
tentia veterum; sit fides penes
autorem? Ex parte (a) pro-
ferentis, incuriam (b) testis, in-
iuriam (c) modi proponendi,
incontinentiam linguæ de-
signat. Senecæ iudicium de
scriptoribus historiæ natura-
lis, ut nimis acerbum repu-
diatur. not. (t).

2) nimius erga testem amor
ex attentione periculi & metu
eius iusto temperatur. Cuius
temperamenti usus ostenditur.
not. (u).

3) de sobrio allegationum
usu remissive not. (x).

Signa acquisitæ fidei profe-
runtur. §. VII.

(1) in

(1) in cognoscendo abstinentia iudicii ab ulteriore examine, ubi dubium de cæca fide non reducenda solvitur. not. (y).

(2) in eligendo ad quiescentia in re proposita. Illustratur exemplo Principis, profi-

tendi, non sentiendi libertatem restringentis. (z).

(3) in docendo legitima testimonum & autorum productio. Quinam tales sint remissive. n. (aa).

(4) in refutando opportuna testimonum contra testes oppositio, not. (bb).

§. I.

PER externa (a) probandi principia in intellectu humano producitur fides, (b) quæ virtus intellectualis assentiendi rei cognitæ (c) ob dicentis auctoritatem (d).

(a) De externis probandi principis, a quibus fides dependet, dictum est in Cap. I. §. IV. & uberius paullo post agetur h. cap. §. IV. Non exigua vero exinde differentia adparet fidei, cum a scientia, tum ab opinione. Equidem ab opinione differt fides, quod illa internis potius, hæc externis probandi principis utatur. Conf. Cap. III. §. I. not. (c). Opinio igitur magis ratione nititur, etiam si minus evidente, modo verosimili, quam fides auctoritate dicentis pensare solet. A scientia eo longius recedit fides, quo maior evidentia rei in cognitione scientis elucet, cui evidentia testimonii opponitur in cap. II. §. I. not. (b). Hinc facile est ad intelligendum, nec fidem carere evidentia, sed sibi congrua, ut monitum, non rei, verum solius testimonii. Quamvis itaque fides ob certitudinem testimonii, præsertim divini, non æquare tantum, sed & superare scientiam possit; nihilominus eo sensu iudicium relinquit inevidens, quod rationem ex re ipsa vel non desumit, vel inde desumptam tanti non æstimat, quanti veracitatem dicentis, in qua sibi adquiescendum esse statuit.

(b) Fateor, admodum esse ambiguam fidei vocem. Philosophiæ pro instituto suo conducit, ut modo moralis, modo intellectualis virtus eo nomine exprimatur. De morali fide nuper disseruit D. Præses in Disp. de crimine fidei, vid. s. III. intellectuali fide ad hanc occasionem sibi relicta. Posterior ergo fides, quæ huc pertinet, assensus est, qui alterius dictis, scriptis atque factis præstatur. Quo sensu rursus duplex est: una, qua alius nobis eandem habet, prout Ulpianus in L. i. D. de R. C. eam accepit, di-

cens: credere est; *fidem* alienam sequi; altera, qua nos alii eandem habemus ac præstamus: Non tam prior, quam *posterior* ad declarationem meam spectare videtur. De *virtute* enim ago, eaque *intellectuali*, quæ *Logicæ*, non *Ethicæ*, nedum *Iurisprudentiæ* pro re etiam nata, vindicanda est.

(c) *Materia fidei* nunc explicanda est, quæ *ratione qualitatis* res tam *divinas*, quam *humanas* attingit. Deinde *ratione* eventus ad præterita respicit humana, sed ad futura etiam divina fides: utraque ad facta, non æque ad iura attendit. Quod autem ad *modum* eas cognoscendi pertinet, non *universalibus* minus, quam *singularibus* fides applicatur. Unde discrit. en inter *Philosophicam* & *historicam fidem* subnatum est: licet in aliis quoque circumstantiis distinguantur. Nam *fides historica* credit *existentiam* actionum humanarum, sed *Philosophica* credit simul earum *convenientiam* cum principiis rectæ rationis locum habere vel non. *Fides historica* versatur magis circa actiones humanas sive sponte, sive invito, aut ignoranter, fuerint susceptæ. Sed *Philosophica* fides in rebus omnibus occupata est. Plura de utraque *fide* egregie differentem consulere licet D. Io. Eisenhartum in *libr. de Fide historica*. Quamvis dissimulare nolim, quod *Philosophicæ electicæ* magis *ratione*, quam *autoritate humana* nitatur. Cum e contrario in *historiis*, *iudiciis* aliisque *autoritas* illa præcipuum præbeat usum. Immo si quando *Philosophica* veritas per *DEI testimonium* in sacris litteris confirmari possit, deficiente quidem *evidentiâ*, ratio tamen quoad *certitudinem* omnium optima est, quæ dicitur, *magis certum* præferri debere *minus certo*; *magis vero certum* est id, quod *DEus dicit verum* esse, quam id, quod nobis *ratio* persuadet; cum magis a *DEI natura* abhorreat, quod fallat, quam a nostra, quod fallamur.

(d) In examine *autoritatis*, consideranda D. Titio monente in *Art. cogit. cap. III. §. LXXXIIX.* tum *persona referens*, tum *res relata*. Postquam ergo de ipsa re relata præced. not. (c) egi, proximum erit, ut de *persona referente* eiusque *autoritate* agatur. Est vero *autoritas* quædam opinio *perfectiõis* in dicente, aut agente, aliis *cognita* ac *perspecta*. Quæ nunc *perfectio* requiritur, porro spectanda est non ex parte solum *intellectus*, uti *notitia*, vi cuius verum dicere possit, sed ex parte etiam *voluntatis*, *virtus*, in primis *veracitas*, ut verum pariter dicere velit. Mensura itaque *autoritatis* constituitur pro *gradibus* perfectiõis sive *naturalis*, sive *moralis*. Ex dictis sequitur *inimici* testimonio non adhibendam esse *fidem*, quia ex *odio* profectum esse videtur, non ex *bona intentione*. Sed
odio

odio correpti facile mentiuntur, non secus ac illi, quos amor pravus inflammavit. Philosophi igitur utriusque adfectus vehementiam perpendentes, regulam formarunt. Inimicis cum vituperant, & amicis cum laudant, non credendum esse. Sin autem inimici laudent, amici vituperent, tunc fidem adhiberi posse, quia sic veritate rei gestæ convicti, non adfectu suo decepti, testimonium perhibent.

§. II.

Et si fides, quæ virtus intellectualis est, autoritati dicentis plurimum tribuit; in ea tamen sola non semper adquiescit, sed rationem probandi haut raro superaddit. Hinc divisio inter fidem simplicem (e) & qualificatam, seu rationabilem (f) orta est, ut illa pluris testem; hæc rationem, qua testimonium eius nititur, maioris æstimet. Alias mihi non ignotum est, fidem adpellari quoque simplicem; quæ simulationi opponitur, adeoque comes eius sinceritas est. Sed moralis est, de qua dictum §. I. not. (b).

(e) Quæ confundenda non est cum fide cæca, quæ necessaria rei credendæ cognitione caret. Nam fides virtus est intellectualis; sed cæca fides continet adfectatam rerum necessariorum ignorantiam. Deinde verum adsensum excludit, quippe qui rei ignotæ esse non potest. Porro fides coniuncta est cum iudicio, illa, quam cæcam vocavi, merum est præiudicium autoritatis. Hinc fides cæca ibi adhæret sectæ, ubi simplex præmisit electionem. Et ubi hæc oculata est, creditque, quod videt; ibi utroque lumine tam revelationis; rationis illa se privat ac credit, quod plane ignorat. Denique fides simplex reddit sinceros; sed cæca homines incautos. Si quisquam alius Ludovicus Vives fuit, qui ad eo vivis coloribus exhibuit imaginem cuiusdam, cæca fide adfecti, ut mihi temperare nequeam, quin integra verba, licet pluscula sint, e lib. de causis corrupt. art. Op. T. I. extant. p. m. 340. huc adscribam. Ita vero ille: Venit eo (scilicet in Academiis) adolescens novus, rudis omnium; imbuitur statim sectæ placitis; recipit, assentitur, afficitur; priusquam possit iudicare audit dici omnia constantissime a præceptore, ingenti adseveratione vultus, supercilii, sententiæ, videt recipi omnia magno consensu atque admiratione a condiscipulis, credit esse mera oracula; ita haurit tamquam

certissima & indubitata, tanquam illa, quæ prima principia nominantur. Et paullo post: Non solum ita se his addicit & mancipat, ut eo modo censeat esse verissima, sed ut alia cuiuscunque modi habeat suspecta: adeo iudicio se spoliat præcipuo non solum in tractandis artibus bono, sed in tota vita facultate veritatis inquirendæ aptissimo.

(f) Non fidei solum philosophicæ, sed & historicæ de qua §. I. not. (c). dictum, convenit ratio sua probandi. Neque testium dictis in foro creditur, nisi causam scientiæ suæ allegare possint. Quod nemini a fide, quæ ab autoritate dicentis excitatur, alienum esse videbitur, modo ad animum revocet, cur autoritati iuncta sit illa probandi ratio. Scilicet ea intentione, ut ratio temperet autoritatem, ne in fide cæcus plane fiat intellectus humani assensus. Propterea vero fides esse non desinet, quamdiu interveniente autoritate illa producit, confirmatur, amissaque eodem modo restauratur. Accedit, quod pleræque fidem conciliandi rationes, non ex rebus ipsis, sed e personæ, cui creditur, variis perfectionum gradibus petantur, de quibus paullo ante mentem meam adperui §. I. not. (d).

§. III.

Fidei ita descriptæ atque divisæ etiam opponuntur vitia sua, quorum unum in excessu credulitas dicitur, alterum in defectu incredulitas dicitur. Credulitas est immodica alienæ autoritatis æstimatio (g), sed incredulitas in se omnis autoritatis alienæ contentum (h) includit.

(g) Adeo perniciosa est credulitas, quæ intellectus humani iudicium non deminuit modo, sed & eius usum plane excludit. Simul ut enim credulus alicui fidem semel adhibuit, in posterum pro veris omnia habet ac recipit, quæ ab illo usquam proferuntur. Præiudicio tam præcipitantia, quam autoritatis humane se fascinantæ, ut periculum fallendi, quod sæpe ante oculos suos oberrat & cui omne testimonium humanum expositum est, minime attendat. Hinc testem cæco ductu sequitur, conf. §. II. not. (e). excussa penitus sobria falsi formidine, neglectoque examine eius notitiæ, bonæ intentionis, aliarumve circumstantiarum, quæ probabile testimonium reddunt vid. §. I. not. (d). Quæ negligentia originem suam trahit ab ea animi dispositione, qua creduli ex obedientia quadam cæca dictis testium quidpiam opponere nolunt, quos huc usque plus quam semetipsos dilexerunt, vel

vel ex ingenii debilitate nesciunt rationem, quam ut *dissensus sui* causam adferre possint. Sic *credulitatis* vitio contaminant se ratione *etatis* pueri, ratione *sexus* feminæ, ratione *status* scholastici, discipuli aliique plures, quos fando vix exprimam. De quibus ita disseruit Seneca in *Lib. VII. Q. Nat. cap. 16. quidam creduli, quidam negligentes sunt, quibusdam mendacium obrepit, quibusdam placet: ibi non evitant, hi appetunt. Frequentia non minus, quam gravitate huius prudenter inspecta D. Præses prolixa dissertatione de credulitate egit, & quæ huc pertinent, uberius deduxit.*

(h) Quamvis *incredulitas* in eo convenit cum *credulitate*, quod utraque *fidei* opponatur, & *morbis* sit intellectus humani; in eo tamen vehementer discrepant, quod ubi *credulitas* alienam auctoritatem supra modum æstimat; ibi *incredulitas* illam plane contemnat, reiiciat ac destruat. Unde *incredulitas* in humanis *scepticismum*, in divinis *atheismum*: in rebus cognoscendis *ignaviam*; in agendis extremam vitæ *licentiam* parit. Qua mente Gothofredus a Valle *artem nihil credendi* scripsisse, aliqui existimant. Utrumque ergo horum vitiorum miseram *intellectus humani* faciem adumbrat, qui semper ab uno extremo ad alterum prolabi potest, nisi summa circumspectione instruat. Add. DN. Præsid. *Dissert. de Icone Atheorum.*

§. IV.

Media vero, quæ tam *producenda*, quam *conservanda* *fidei* inserviunt, *testimonia* sunt sive *DEI*, sive *hominum*. *DEI* quidem *testimonium vere* infallibile esse non Theologi solum ex *revelatione* (i), sed & Philosophi ex *ratione* adserunt. Nam *DEI* in dicendo agendoque *perfectio* absoluta & summa est, ut eius *autoritati* sine periculo quisque inniti possit (k). Sed *hominum testimonia* sunt vel *publica* vel *privata*. *Publica* denuo dividuntur in *singularia* ut *Principum* in Republica (l), *docentium* in cathedra publica, aliorumque, pro quibus præsumptio perfectionis militat. Ideo *credendum* erit in Republica imperio publico *subiectis*, ne turbent iuris ordinem ac eventum, *discentibus* (m) quoque tamdiu, quamdiu adhuc *artium* rudes sunt ac imperiti. Neque *communia* (n) respuere licet testimonia, quia plures magis, quam unus, ad *veritatem* attendisse videntur,

dentur. Maxime vero id accidit, si *publica* auctoritate illa universitas hominum polleat. Denique *singulorum* testimonia sive dictis, sive scriptis expressa fuerint, tanti valent, quanti *autoritas testis* (o), qui illa protulit.

(i) Quæ *evidentiam testimonii* in se comprehendit, qua *fides divina* confirmatur, ut dictum est *cap. II. §. I. not. (b)*. Magis ergo a viris Theologis, quam a Philosophis explicanda est: licet hi ob doctrinam *perfectissimam*, quam *revelatio* tradit, eidem merito adsentiantur.

(k) Philosophi ita colligunt: Si DEi testimonium non *infallibile* foret, id exinde eveniret, vel quia DEus *nesciret*, vel quia *nollet*, vel quia *non posset verum testari*: primum divinæ *omniscientiae*, secundum *infinite bonitati*, tertium *omnipotentiae* adversatur. Et quanquam *ius summum* in homines DEus habeat; ei tamen non convenire *fallibile* erga homines *testimonium*, ut ex Platone recte agnovit Hugo Grotius *de I. b. §. p. Lib. III. Cap. I. §. XV. n. 1.* quia *infirmi* nota est ad *mendacium* contigere. Interim bene observandum est, quod *fides divina* non credat tantum *historiae*, sed etiam *effectum* eius recipiat. Neque enim sola constat *notitia & adsensu*, quæ etiam in *impiis* dantur, sed *fiduciam* maxime requirit, quæ efficit, ut ex *humili* quadam *reverentia* erga DEum *intellectus divine auctoritati* cedat, eamque in rebus tam *spiritualibus & supernaturalibus*, quam *naturalibus* ostendat.

(l) Post DEum collocatur *Princeps*, a cuius *testimonio* omnium sibi *subditorum fides & excitatur & stabilitur*. Nam *presumptio summæ perfectionis* pro Principe militat, ipsum fore talem, qualis esse debet. Iam vero *autoritas*, quæ *fidei mater* est, in *perfectione* fundatur vid. supra §. I. not. (d). Quam auget *divinus vicariatus*, quo Princeps quisque in his terris fruitur, vid. D. Becmann *in Diss. de Vicariatu divino*. Unde ipsius *testimonio* multum roboris accedit, præsertim si hoc ad *publicum statum* comparatur, cuius gratia præstitum est. Etsi alias expeditum est, quod *publica autoritas* præstet *privatæ* per not. (n). Digna vox maiestatis Principis est, se *regulis veritatis* alligatum profiteri. Sic eorum *imperium fama*; ut *testimonium conscientia* stabit. Neque hoc infringit Platonis obtentus in *L. 3. de Republica*, quo *publicum imperium* habenti concedit *falsum* dicere. Cuius sententiam amplexi sunt recentiores quidam Philosophi, existimantes, *vi domini eminentis* hoc Principi licere. Principio notandum est,

est,

est, quod Plato sibi contradicat, cum *infirmi*tatis notam esse, antea dixerit, *præced. not. (k)*. ad mendacium confugere, id vero paullo post Principi permittat, tamquam actum *publici imperii*, quod tali *infirmi*tate nemo metitur. Deinde *dominium eminens* Principi promiscue non competit. Sed habito *publicæ utilitatis & honestatis* respectu, quod ipse Hugo Grotius diffiteri nequit *de I. b. & p. L. II. cap. XIV. §. VII. & L. III. cap. XIX. §. VII.* licet in *Lib. cit. III. cap. I. XV.* alias cum Platone hac in re consentire videatur. Tandem ut *privati* cuiusque interest, ne vacillet *testimonium* suum aliqua *falsi* suspicione, ita multo magis Principi convenit, sibi a *falsis* cavere dictis, cuius quot *verba*, tot *pondera* esse debent, ne *autoritas*, quæ *fidei obsequii*que nervus est, labascat. *Conf. DN. Præsid. Dissert. Iurid. de Testimonio Principis cap. I.*

(m) Adeo clara hæc est *fidei* in discentibus *origo*, ut plenior eius indagatio mihi supervacanea esse videatur. Nempe *perfecti*onis opinio, quam *discentes* de doctoribus suis conceperunt. Quare omnem navant operam docentes, ut *opinionem* illam sibi propriam perpetuamque reddant. Optime conscii mali eventus, quod, *expirante perfecti*onis opinione, simul ac semel *autoritas sua* expiraret. Sed admodum vereor, ne eius iacturam toties faciant, quoties *inter se dissentiunt*. Vtique aliquid de *opinionem* sæpius laudata delibat *dissensus*, nisi *modestus*, aut ita compositus, ut *discentibus* facile adparere possit, illum esse ideo susceptum, quo magis carerent *errandi periculo*, nec spes *future pacis* sibi præscindatur. Gravior autem ac discipulis nocentior a multis putatur ille *dissensus*, quo doctores a *semetipsis* dissentiunt. Neque huic gravitati damnoque vitando deficit occasio, quæ sic arripienda est. doctores a *se dissentiunt* aut in *decisione*, aut in *consilio*: Prior, non posterior *dissensus* deprimit *autoritatem*. Ratio facile suppetit. Nam *decisio* fit, ad *veri bonique naturam*, & prout quisque intellectui suo indulget *sentiendi libertatem*; sed *consilium* in *gratiam* consulentis Hugo Grotius *de I. b. & p. in Proleg. §. XXXIIX.* Quare si *decisio* doctoris dissentiat ab eius *consilio* de eadem re dato, hoc reiecto, illam amplectatur.

(n) Non diffiteor *fidem humanam* pro conditione *personæ* errori posse obnoxiam esse, quo minus vero erret, circumstantiæ, *testimonio* accedentes, satis impediunt. Ex quibus dependet, quod *testimonia communia publica* præ *privatis ac singularibus* habeant præsumptionem *veritatis*. Quemadmodum enim *naturali* inter homines *facilitate* ad dissentiendum vigente, credibile vix est, quod plures in *una re* consentire possint; ita si contingat, eos ta-

H

men

men *inter se consentire* suffragiis suis, certum est, eorum *testimonium* esse verum. Claro admodum argumento, quia *veritas* est *convenientia* intellectus nostri *cum re ipsa*, & proinde non est, nisi *una*, ut tuctur DN. Præses in *Fund. Phil. Ration. Cap. II. §. IIX.* Ubi ergo plurium hominum *testimonia* *cum re ipsa* conveniunt, ibi non possunt non *vera* esse. Neque est, quod multitudinem *errantium* quis obtendat, quod dubium excludet, *possibilis & apta circumstantiarum* inter se *connexio*, quæ in dictis testium *cum invenienda*, tum *attendenda* est. Qua attentione usus Q. Curtius in *Lib. X. cap. I. n. 34.* recte censuit de nota boni ac fidelis Historici. *Plura, inquit, transcribo, quam credo. Nam nec adfirmare sustineo, de quibus dubito: nec subducere, quæ accepi.* Huc etiam dicta mea spectant, quæ non minus ad *philosophicam*, quam *historicam fidem* referri merentur. Præter alios eruditos id ipsum comprobat Io. Gerhard Vosius in *arte historica cap. IX.* Longe autem minus *conspirationis* alicuius prætextum adferre licet, quando *testes*, si non semper loco, vitæ tamen professione, natione, ætate aliisque inter se *circumstantiis distincti* sunt, ut in *testimoniis* suis non convenirent, nisi *veritate* rei gestæ inducti fuissent.

(o) Non repetam pluribus, quæ §. I. not. (d) de *autoritate*, testi necessaria, commemoravi. Testem enim oportet & *scientia* rei gestæ, & *morum innocentia* instructum esse: illa ut *possit*; hac ut *velit*, verum dicere. Ideo *scientiæ* intuitu cuilibet in *arte sua* creditur, quia *peritia*, *experientia* & *usu* dicta sua confirmare valet. Itaque *fides* cuiusvis *artifici* tamdiu tribuitur & adhibetur, donec alius *peritior*, aut plures æque *periti*, contrariam sententiam probaverint veriolem esse, *conf. not. præced. (n).* aut *ratio* adsit contraria. *vid. b. cap. §. II. not. (e).* & (f). aut *sensus*, vel hanc secuta *experientia* repugnet. DN. Præses in *Fund. Phil. Phil. Rat. cap. X. sect. V. §. 10.* Habita vero *innocentiæ* ratione pauperum *testimonia*, non postponenda sunt *testimoniis* divitum. Inprimis, quod *paupertas*, ut *bonæ mentis* soror esse solet, neminem suspectum reddit, nisi cum *malis moribus* coniungatur. Quare Io. Clerico in *P. II. Logic. cap. IIX. §. V.* calculum addere nolum, *divitis* testimonium pluris facienti, quam *pauperis*. Divitiæ enim *aslimationem*, non personæ *existimationem*, qua *fides* nititur, conferunt. Ex hac & aliis causis DN. Præses in *Diss. de Credulitate cap. I. §. IX.* prolixè Clerici *sententiam* explosit ac refutavit, quo benevolam lectorem remitto.

§. V.

§. V.

Neque silentio præterire, consultum est, varia illa, quæ *fidei* obiciuntur *impedimenta*. Siquidem ex parte *intellectus* occurrit *ignorantia* eius *perfectiōis*, quæ in dicente (p) requiritur, ut alteri *fidem* *autoritate* sua conciliare queat. In *voluntate* vero *fidei* adversatur, nimius erga dicentem *amor*, quo accidit, ut quælibet eius dicta *pro oraculis* habeantur. Humana *fide* ita abusi, quantopere *artium incrementa* (q) impediverint, in propatulo est. Adeo quidem, ut, quæ *vitia* ex parte sive *docentium*, sive *discentium* simul concurrant, veram ac genuinam *fidem* impeditura, ex iis, quæ ab initio *huius capitis* (r) adducta fuerunt, uberrime pateat. Quin immo in ipsa *methodo* latet aliquod *impedimentum*, si quis *testimonia nuda* urgeat, nec dispiciat unquam, qua *mente*, *ratione* & *causa* quid probatum dictumque fuerit. Inde ortum est *vitium*, quod in *superflua* (s) *doctorum allegatione* committitur, quæ non *fidei*, sed *sectæ* studium manifestat,

(p) Notitia vero eius *perfectiōis*, quæ efficit, ut in *dictis* alterius adquiescamus, exposita est *cap. b. §. III. not. (d)* & repetita *§. IV. not. (o)*. Imperatorem illa Hadrianum permovit, ut propterea Iunio Rufino, Proconsuli Macedoniæ, rescriberet, *testibus se, non testimoniis crediturum*. Quod refert Callistratus in *L. 3. §. 3. D. de testib.* Non dubia ratione, quia qualis *testis*, tale etiam *testimonium* est. *Conf. §. IV. in fin.*

(q) Cum plurimi mortalium a labore ad *otium* proclives sint, inde penes *sectatores* potissimum animadvertitur, ut ex *pravo sui*, quam alterius amore, *creduli* evadant, grata delibuti persuasione, quasi omnia a doctore in *autoritate* apud se constituto, sint exhausta, ut eisdem nihil amplius addere liceat. Sic *fidem*, quæ in discen- tibus *rationabilis* esse debuerat, in *cæcam* convertunt. *Vitium*, in quod ætate sua iam dudum eloquentissimus Orator, Cicero *Lib. I. de N. D.* graviter inveheret: *obest*, inquit, *plerumque iis, qui discere vo- lunt, autoritas eorum, qui se docere profitentur. Desinunt enim iudicium adhibere, id habent, ratum, quod ab eo, quem probant iudicatum vident.* Neque Italis, inter quos Cicero unus omnium summe floruit, sed quam maxime Germanis, id ipsum exprobran- dum

dum a quibus inane hoc *votum* in dies audire, wenn sie nur dasjenige wüsten und verstünden / was der vornehme Mann könne und wüste / sie wolten gerne nichts mehr erleben. Verum hæc *animi adfectio* non *decrementa* solum artibus singulis præfagit, sed a multis etiam retro annis in Philosophia naturali ac Medicina tot *Empiricos*, in *moralis* & *Iurisprudencia* *probabilistas*, in *rationali* Philosophia *Sophistas*, & in universo disciplinarum ambitu mox *vetustissimas* ex orco sectas resuscitavit, mox *novarum* fecunda mater extitit. Taceo *contemptum*, qui ex perverso *fidei humane* studio in *fideles*, *probos* ac *diligentes* artium doctores redundat. Conf. DN. Præsid. *Disput. de Propagatione Philosophiæ sub contemptu.*

(r) *Iis recensendis non immorabor*, factum hoc est, quod ad *vitiæ disceptationem* attinet. §. II. not. (e) & §. III. not. (g). & quod ad ea spectat, quæ *doctoribus* præcipue conveniunt. vid. §. V. n. (n) & (o).

(s) Ideo dicitur *superflua*, quod doctores sæpe aliorum utantur *allegationibus*, non tam ut inde *fidem* adstruant, sed ut *lectionis ac reconditæ eruditionis* laudem consecuti, ceteris *prudentiores & diligentiores* æstimentur, sibi que si non *adquirant*, saltim *vanum turbæ adplausum* *conferent*. Quo tamen facto sibi *occasionem* adimunt, qua *proprium iudicium* interponere debuissent. Et quid multa? *Advocatum* ista non *querunt*, *affectus ipsos* *tangunt*. Seneca *monitore in ep. CXIV.*

§. VI.

Qui *rationis sanæ iudicio* examinavit *fidei impedimenta*, eadem ex ante dictis haut ægre *removere* poterit. Nam *opinio perfectionis* (t), quam quisque de *teste*, cui credit, concepit ac fovet, *ignorantiam*, credenti *noxæ futuram*, protinus expellit. *Amorem* erga dicentem *nimum* temperat *metus* periculi, in quo mortales versantur, ut, hoc inspecto, *errare humanum esse*, intelligant (u). Sic *credit*, sed pro ea *animi prudentia*, ut, cui & de *qua re* credat, bene perpendat. Quoties vero *alieni testimonii* *allegatione* utendum, exacte illud considerat, num aliquid *ponderis* habeat, sive ad *convictionem* adversarii sui, sive ad *propositi negotii illustrationem*. Extra hos *fines* eiusmodi *allegatione* tutius abstinetur (x), quam ut *inspergatur*. Præterquam quod *animum sapit elatum*, quid quid in ea *superfluum*

suum est, *testium* nube obducit intellectum, eiusque *iudicium*, adeo in omni re cognoscenda & adplicanda necessarium, impedit ac perturbat.

(t) *Fides* enim, quæ cognitione hac caret, non *virtus* quædam *intellectualis*, sed *impetus* est *cæcæ obedientiæ*, quæ homines sui incuriosos & parum cautos occupat. Vid. *supr.* §. II. *not.* (e). *Fide* igitur adsentimur rei propositæ non aliam ob causam, atque eam, quia dicentem, *vera* loqui, ut olim *cognovimus*, ita in præsentî *existimamus*. Neque sufficit *genuinæ fidei* studioso ad illud commune dictum confugere: *sit fides penes autorem*, quod ex parte *proferentis incuriam* prodit ac in rebus cognoscendis haut levent *negligentiam*: ex parte *testis*, cuius evocatur *testimonium*, parum abest, quin *iniuriam* contineat: ex parte *modi* proponendi signum præbet *vane garulitatis*. Quare mihi non arridet *Senecæ iudicium*, quo *historiæ naturalis conditores* in *Lib. IV. N. Q. cap. III.* accusat, dicentis: *quod historici faciunt, & ipse faciam. Illi enim multa mentiti sunt ad arbitrium suum, unam aliquam rem non lunt spondere: sed adiiciunt, penes auctores fides erit.*

(u) Quodsi omnes homines se studio *veritatis* consecrarent, & *vera* quoque data occasione semper *dicerent*, non opus foret his *Logicæ præceptis*. Sed scire nos oportet, quemque mortalium *errandi* periculo subiectum esse. Propterea tamen *fides* illis non penitus deneganda, sed cum *animi prudentiâ* adhibenda est eoque ordine, cuius §. II. *not.* (f) mentionem feci, ac in primis à *nimio dicentis amore* cavendum. Sic *probabilismus* *vid. cap. III. §. II. not.* (c) *communis opinio* *cap. III. §. III. & not.* (k) *scepticismus. cap. cit. §. IV. not.* (o) & *sectarum æstimatio. Cap. III. §. VI. not.* (cc) & *cap. h. V. not.* (q) sponte sua cessabunt quoniam in hisce singulis vel manifestus adest *error*, vel proximum *errandi* periculum exinde imminere potest.

(x) De *sobrio allegationum* usu, quo nutriri *veritas* & ipsi *errores* dissipari solent, nihil amplius subiungam, sed ad ea me refero, quæ proposui *præced. §. V. not.* (f).

§. VII.

Quodsi *signa*, quæ *fidem* adquisitam indicant, ordine semel recepto exhibenda sunt, tunc in *cognoscendo* se offert *abstinentia iudicii* nostri ab ulteriore circa rem cognitam examine, quia dicentis *veracitate* nituntur, quot quot

alicui *fidem* habent (y). In eligendo adparet *adquiescentia* in re proposita, quia *aliena autoritate* ita utuntur credentes, ut *libertatem suam sentiendi* aliquamdiu suspendant (z). Et proinde in docendo legitima fit testium atque autorum (aa) *productio*, per quos profecerint, *alienam* secuti doctrinam. Denique in refutando animadverti potest *opportuna* testium contra testes *oppositio*, qua unius doctoris laudata & producta *autoritas* alia elidatur. (bb).

(y) Neque ad rem pertinet, quod *omisso* rei *examine* reducta esse videatur *fides cæca*, quam tamen supra reieci §. II. not. (e). & §. III. not. (g). Verum hic distinguendum est inter *examen antecedens* & *subsequens*: illius omisio parit *fidem cæcam*; hoc rursus pro qualitate rerum expendendum est. In *rebus divinis*, postquam *verum Dei testimonium* innotuit, ab ulteriore examine se abstinere *fide* imbutus, cum ob *imbecillitatem* intellectus sui, qui amplius scrutando proficere nequit, tum ob *sublimitatem* rei cognitæ aut cognoscendæ, quæ captum intellectus humani superat. Hinc Augustinus in *L. II. de doct. Christ. cap. II.* bene monuit: *credimus, ait, ut intelligamus; non vero intelligimus, ut credamus.* In *humanis* vero illa *abstinentia* capienda est *sub clausula rebus sic stantibus*, quæ ut omnes humanos actus limitat; ita etiam eorum *testimonia*, quorum *examine* abstinemus, nisi *emergentes* tam *testantis* personæ, quam rei *cognitæ* circumstantiæ, illa reddant suspecta. Quare *Principis testimonio* in *Republica* non minus, ac *curia presunta* tribuitur *infalibilitas*; nec discentes ulterius credunt doctoribus suis, quamprimum res aliter habere sive in *causis*, sive *effectibus* suis perspiciunt *Conf. preced. §. IV. not. (l) (m) (o).*

(z) Libet hoc exemplo illustrare a *Principe*, quænam *artes* præ aliis colendæ sint in *Republica* sua, civibus suis *litteratis* præscribente. Quo facto hi *adquiescunt* in voluntate *Principis* sui, non *sublata*, sed *suspensa* aut *restricta*, magis vero *externa* *profitendi*, quam *interna* *sentiendi* libertate. Nam *Princeps* non æque *animis*, ut *linguis*, imperare potest. Immo *Princeps* hoc in casu non imperat *intellectui* docentium, sed *publicæ* artium *professioni* certos ponit *limites*, ut illæ explicentur, quæ generis humani *indigentiam* deminuant, *utilitatem* tam *publicam*, quam *privatam* adiuvent ac conservent. *Conf. Senecæ ep. LXXXIX.*

(aa) Qui-

- (aa) Quinam vero testes sint idonei, Iurisprudencia in usum curiæ tradit, sed qui *autores boni*, & quibus *characteribus* dignoscantur, longum foret, de eis differere. Philosophia *rationalis*, quæ *intellectus* nostri informandi præsidia indagare solet, in his minime deficit, ac propterea etiam adeunda est. Vid. DN. Præfidis *Fundam. Phil. Rat. cap. VII. §. XIII.* ibique ea, quæ suppleantur.
- (bb) Modus alias respondendi est, quem magnopere *artis disputatoriae* periti commendant, iure *talionis* ita exigente ne lis protrahatur, sed brevi finiatur. Vid. DN. Præfidis *Process. Disput. cap. XI. §. X.*

CAP. V.
DE
CAPTIVATIONE RATIONIS.

SUMMA.

Connexio cum præcedentibus & definitio eius captivationis, quæ rationis esse dicitur, una cum effectu proponitur §. I.

Demonstratur eius (1) differentia a fide magis tamen divina, quam humana not. (a).

(2) qualitas eius, quod virtus sit.

a) ob animi moderationem,

b) ob intellectus humani perfectionem.

c) ob vitiorum tam intellectus, quam voluntatis expulsionem.

d) ob abstinentiam alieni.

Dubium de ignorantia obiectum solvitur, not. (b).

Materia huius virtutis sunt (1) in divinis, ut *mysteria*, *iudicia* & *reservata DEi specialia*.

(2) in humanis, *arcana status* tam privati, quam publici.

De *soliloquiis Politicorum* ex Tacito. not. (c).

Quæ virtuti huic opponuntur vitia sunt (1) in excessu adfectatum rationis dominium; Unde in voluntate *audacia*, in intellectu *nimia curiositas*, in conversatione *cura rerum alienarum* observatur. (2) in defectu *admiratio rerum consuetarum*, *notarum* & *familiarium* §. II.

Dam-

Damnum, quod ab adfectato rationis dominio in religionem redundat una cum discussione alicuius dubii ostenditur. not. (d).

De ignorantia, admirationis matre, eamque a Democrito & Pythagora in vitio poni, traditur. not. (f),

Media, quæ ad captivandam rationem faciunt, sunt §. III.

(1) experientia, quæ ad τὸ θεῖον in omnibus Philosophiæ partibus ducit. Cuius inveniendi

a) methodus b) exemplorum allegatio. c) scriptores, Sagittarius, Morhofius, Conringius, Zentgravius not. (g).

(2) reflexio animi in semetipsum, ubi Callimachi dictum de sapientia humana, scæno Persica non metienda. not. (h).

(3) consideratio damnorum, quæ ex investigatione & revelatione arcanorum Principis nascuntur. (i).

(4) absurdarum & ineptarum consequentiarum fuga, quæ ex temerario, mysteriorum, iudiciorum ac reservatorum diuinorum scrutinio proveniunt. (k).

Impedimenta, quæ congesta fuerunt §. IV. Quorum

(1) neglectus in cognitione sui, & obiectio avertitur, quasi hæc cognitio impediat captivationem rationis. n. (l).

(2) temerarium iudicium tam de divinis, quam de arcanis Principum consiliis.

(3) nimia erga vires ingenii sui fiducia. Remedium contra hanc ex Seneca laudatur. not. (m).

(4) lectio librorum heterodoxorum & paradoxorum. Quantum ex eis damnum ac periculum proveniat. not. (n).

Removentur illa impedimenta (1) diligentia in cognitione sui. Quæ ad mentem Platonis triplici ignorantie sui opponitur. not. (o).

(2) sobrium de rebus iudicium, in quibus maxime commendata esse debet Tuldeni admonitio not. (p).

(3) abstinentia a libris pravis.

Denique signa huius virtutis sunt

(1) in intellectu admiratio, cuius exhibetur

a) origo & materia n. (q).

b) dubium de perfectione motum. not. (r).

(2) in voluntate veneratio. Notatur

Notatur hic Henricus Alstedius. not. (f).

(3) in methodo docendi, circumspectio, ubi D. Textoris sententia circa iudicium de mysteriis fidei laudatur. n. (t).

Cautela pro cohibendis di-

sputationibus temerariis de natura & gubernatione divina. Cui subiicitur resolutio argumenti de atheis, per miracula de existentia DEI non convincendis. not. (u).

§. I.

Post fidem (a) quoque dispiciendum de captivatione rationis, quæ virtus (b) intellectualis est iudicium nostrum moderandi circa res intellectu humano sublimiores (c). Quam confessio sequitur, cum virtute hac imbuti se pergere amplius ac proficere in re, intellectui obiecta, non posse, pro candore suo fatentur.

(a) Non nescius sum eorum, quæ Cap. I. §. IV. pag. 11. in fin. de captivatione rationis disserui eandem magnam habere adfinitatem cum fide. Quæ tamen accuratius perpensa magis in divina, quam humana fide procedit. Cum in illa sublimitas rerum cognoscendarum, quæ fidei divinæ propria est, iudicio humano ponat limites suos, quos transilire non licet vid. Cap. IV. §. VII. not. (y). Quare agnitio illa, quatenus temporat sciendi studium in rebus, quæ intellectu humano maiores sunt ac sublimiores, merito ad virtutem intellectualem referenda est.

(b) Ex his vero rationibus, virtutem esse intellectualem, quæ iam proposita est rationis captivatio, clare demonstratur. Primo enim in moderatione omnis virtus consistit. Sed rationis captivatio est, quæ sciendi studium moderatur, ne ad res supra captum humanum positas extendatur per dict. preced. not. (a). Deinde intellectus perficit iudicium, ne de omnibus, sed opportunis illud feratur, quod præstitisse in virtute locandum est, conf. cap. I. §. III. not. (k). Porro in rebus cognoscendis eliminat præcipitantiam, in agendis vero impatientiam. Quis ergo intellectualis virtutis laudem ei denegabit? Denique, ut abstinentia alieni in moralibus; ita in intellectualibus, virtutibus adnumeranda est. Neque obstare potest, quod plurimi Philosophorum putent, ignorantia illam captivationem æquivalere, quam nemo virtutum

numero continuit. Nam *ignorantia docta* intelligitur, quæ ut ab *alienis & supra captum* positis intellectum abstinet, eo minus *vitio* verti debet, quo clarius *prudentiæ* documentum ita præbuit. Dum efficit, ne plus quis sapiat, quam *necesse est*, quod subinde Gisbertus Voëtius in *Volum. III. Dissert. de ignorantia docta*, ut temperamentum *scientiæ* laudavit, variisque illustravit exemplis. Accedit, quod *restrictio* eiusmodi *ignorantiæ*, quæ cum præsentate virtute venit in comparationem, a *doctrina* petatur, quæ *solerziam* quamdam intellectus, adeoque ipsam *virtutem* indicat. Vid. in *Præfat. not. (d)*. pag. 4.

(c) Materia igitur, in qua ratio nostra captivanda est, versatur in *mysteriis*, quæ *solis* rationis nostræ *viribus* nec cognosci, nec diiudicari possunt. Propterea ratio in *mysteriis* non tollenda, quæ potentia *obedientiali*, ex gratia DEI præveniente ac præparante orta, ut viri Theologi præclare monent, ea recipit, sed *faltim composcenda* est, ne illa, quæ supra rationem sunt, hæc sibi temere subiicere ausit. In DEI quoque *iudiciis* eadem *moderatione* atque *cautione* utendum erit, quæ intellectu nostro quidem *cognosci*, non tamen *diiudicari* possunt. Quibus cum DEI *reservata* conveniunt, cui *certa* est futurorum contingentium *notitia*, de qua D. Fridemann Bechmann in *Tr. de scientia DEI*, aliaque plura, quæ DEUS hominum cohibere voluit indagationem, quod ea scire non proficit. D. Io. Christophor. Bechmann in *Disp. de Iure idiomatis cap. IV. §. 2.* Neque in rebus *humanis* desunt, ad quæ *virtus* hæc adplicari queat. Sic in *arcanis* tam *publici*, quam *privati* status, adeo necessaria est, ut neutrius *securitas* constet, si cuiusque *iudicio* patefiat & subiiciatur. Rectissime igitur Cornelius Tacitus *VI. Ann. 205.* dehortatus est scios, inquam: *Abditos Principis sensus, & si quid occultius paret, exquirere illicitum, anceps, nec ideo adsequare.* Politicorum sint *maneatque soliloquia*, quæ in utroque statu *arcana* latent. Quæ ratione nec in *privato secreta patrimonii*, nec in *publico confilia* corroborandi *imperii* panduntur, ut illic *invidiam*; hic *iniuriam* parere possint. Vid. DN. Præses in *Disp. de Philosophiæ silentii.*

§. II.

Atque huic *virtuti* etiam opponitur in *excessu*, quoad *res divinas* adfectatum (d) *rationis* dominium, quod eorum proprium est vitium, qui pro *audacia* sua in *mysteriorum* cogni-

cognitionem ratione sua involare, eademque diiudicare; perperam conantur; quoad *res humanas curiositas nimia*, e qua resultat rerum *alienarum* (e) inspectio, earumque cura, quæ ad cognoscentem plane non pertinere videntur. In defectu *admiratio* earum rerum notatur, quæ tamen *consuetæ, notæ, & familiares* usu quottidiano existunt (f).

(d) Quodsi ab eis, qui tale *dominum* adfectant, prudenter ponderetur, *mysteria ante revelationem* nec cognosci, nec *post revelationem* comprehendere posse, a proposito suo facile desisterent. Nam in *mysteriis*, qui *scire* vult, antequam *credit*, nunquam pervenit ad *veram scientiam*. Ut ergo huc *pervenire* possit, necesse est, eundem prius *credere*. Lumen vero *rationis* non potest principium *fidei* esse alias *scripturæ lumine* haut opus foret. Neque est, quod quis obloquatur, *scripturæ cultoribus* prohiberi ab Apostolo *I. cor. XIV. comm. 20.* ne pueri sint *intellectu*. Verum id non de *naturali*, sed *salutari* cognitione intelligendum, quam *rationis captivatio* non tollit, sed custodit ac conservat. Adeo, ut *ignorantia*, quæ in rebus *humanis* non toleratur, quoties *necessariæ* sunt cognitu, tantum abest, ut in *divinis* permittatur. Sed, negato *rationis dominio*, non protinus *ignorantia* defenditur, quæ supra depulsa, ubi *fidem cæcæ* reieci *cap. IV.* quin potius *moderatio* in *divinarum rerum scrutinio* commendatur. Conf. *Cap. II. §. VII. not. (bb).* pag. 28.

(e) Inter *scientiæ* impedimenta res illas supra retuli *Cap. II. §. VI. not. (cc)* easque strenue removi *l. c. §. VII. not. (mm)*. Actuna hic non ago.

(f) *Ignorantiam* sat prodit illarum *admiratio*, quæ alias ex hoc capite Democrito *vitam beatam* impedire, aut iam partam labefactare dicitur. Talis vero effectus non aliunde provenit, quam a vicio. Deinde magno *experientiæ* defectu semetipsum arguit, qui in dictis *rebus admiratione* defixus hæret. Cum ergo *Philosophia* sit quæ *ignorantiam* depellat ac *veram experientiam* ubique exigat, qui minore tenetur *admiratio*, non exiguos in *Philosophia profectus suos* detegit. Id ipsum Pythagoras exemplo suo confirmavit, qui interrogatus, uti tradunt, quid ex diuturno illo *sapientiæ studio* sibi superesset, respondit: *nihil admirari.*

§. III.

Quibus cognitis ad *media* me accingo, quæ ad *captivandam rationem* homini conducere pollunt. Sic *experientia* est, quæ satis ostendit, quousque *ratio* in illis rebus *scrutandis* atque *examinandis* deficere magis, quam proficere soleat, quæ supra captum suum evectæ sunt (g). Quam excipit *animi reflexio*, in semetipsum suscepta, quia ad *mentis angustias* hac redigitur, ne de *viribus* eius amplius *speret*, quam in illis est (h). *Damni* periculum quoque considerandum est, præcipue cum in *arcanis* principum *captiva* duci debeat ratio. Nam *temere* iudicantes de illis, sunt iniurii erga *Principes*, quorum *causæ* detrahunt, in *semetipsos*, quos in illorum adducunt *odium*, in *alios*, quos secum eodem *periculo* exponunt (i). Sileo, *noxias consequentias*, (k), quæ ex eorum doctrina profiscuntur, cum in *mysteriis*, *iudiciis* ac *reservatis* DEi captivare nolunt rationem suam. Quare sibi habet, quod imputet, si sacram hanc fugiens anchoram, in *errores*, *impietatem* aliaque *vitia* incidat.

(g) *Methodus* ergo *Philosophandi* commendatur pro *virtute* hac consequenda, quæ a *DEo* incipit & demum ad *res creatas* descendit, ac duplici ratione huic *virtuti* prodesse videtur. Una est, quia in omnibus disciplinis datur τὸ θεῖον aliquod *divinum*, cuius adcuratiorem *notitiam* sibi soli *DEus* reservavit. Sic in *Physica* mirabiles rerum effectus, quos naturæ vocant *miracula*, moribundorum præfagia, exitu comprobata, aliaque. In *Ethica* virtutes *heroicas*, quas sine impulsu divino non editas esse, defendit D. Caspar Sagittarius in *Diss. de motibus Heroicis*. Fatales *Rerumpublicarum* periodi in *Politica* quæ melius observari, quam explicari possunt. Maxime huc pertinet, quam Principes in depellendis morbis præstiterunt, mirabilis cura ægrotos sanandi, ut D. Morhofius in *Dissert. de Principe Medico* & post eum D. Zentgravius de dono sanandi strumas miraculoso, *Regibus Gallia* competente. Ad *historiam* quod attinet, illic *DEI* directio circa per-

personarum illustrium actiones, quæ sæpetalem eventum adfectu fuerunt, qualem intentio hominum nulla penetrare poterat. Tanti *directionis* huius observationem fecit D. Hermannus Conringius ut in *lib. de Civil. Prudent. cap. XIV.* de neglectu eius iustam querelam contra historicos sibi movisse videatur. Ita vero ibi disserit: *perquam pauci historici illam diviniorum causarum iusta commemoratione persequi solent: quidam de industria hoc videntur agere, ut excutiant lectorum animis τὴν Θεῶν curam.* Neque fert brevitatis studium, ut de eo, quod in reliquis disciplinis divinum est, largius exponam. In primis cum laudatus D. Morhofius in *Polybistor. litt. lib. I. cap. XII.* pluribus illud tradiderit. Sed instituti ratio exigit, *alteram* methodi huius in medium proferre causam. Quæ huc redit, ad DEum ideo cogitationes nostras prius dirigendas esse, quam ad *res creatas*, ne accidat, ut, in illis nimium hærentes Philosophi, periculum *atheismi*, aut *idololatriæ*, adeant.

- (h) Quibus addo illud Poëtæ Callimachi dictum, quod Plutarchus refert *de Exsil. Tom. II. f. 982. in fin. Μὴ μελεεῖν ἄνευ προσῆδου τὴν σοφίαν.* Id quod etiam ostentatores rubore suffundat, multa de iis garrientes, quæ tamen vix *ratione* sua attingere possunt.
- (i) Principum hæc *Philosophia* esse dicitur a Famiano Strada in *Histor. Belg. Dec. I. Lib. V.* consiliorum secreta rimati, quorum *primum* principium in *cognitione*, quod melius sit *prævidere*, quam *prævideri*; in *executione* vero, quod tutius sit *prævenire* quam *præveniri*. Neque enim omnia *consilia* cunctis præsentibus tractari, ratio rerum permittit, nec, eorum expeditionem differre, *occasionum* velocitas patitur. Conf. DN. Præsid. *Disp. de Philosophia silentii, seu in tacendo exculta.*
- (k) Qui igitur in *arcana DEI* providentia *rationem suam captivare* nesciunt, vel eam negant, vel DEo providenti indignantur. Cum enim vident *bonis* male, & *malis* bene esse, noxiam sibi nectunt *impiamque consequentiam*, quasi coram DEo *gratis probum* esse oporteat. Cuius tamen Seneca etiam si paganus Philosophus, nexum solvere potuit in *libr. de Provid. cap. I.* quod DEus permittat, *bonis* male esse, quos experitur, indurat, sibi que præparat, ut postea eorum *modestia* ac *patientia* delectetur; sed *malis* bene, ne de occasione sibi ad emendationem oblata conqueri possint,

sint, quos tot beneficia divina ad illam invitaverunt. Conf. DN. Præsid. Fundam. Philosoph. Moral. P. I. cap. 1. §. ult.

§. IV.

Adeo necessariæ huic virtuti, ut demonstravi, non deficiunt, quæ opponantur impedimenta. Hinc neglectus in cognitione sui, qua vires non minus, quam imbecillitates intellectus humani cognoscuntur (l), maxime rationis captivationem sufflaminat. Temerarium, quod rebus tam divinis, quam arcanis interstrepit iudicium, id ipsum auget impedimentum. Multum conferente nimia erga vires ingenii iudicii que sui fiducia (m), quæ intempestiva librorum heterodoxorum ac paradoxorum (n) lectione consummatur, ac si præstaret socios temeritatis suæ habuisse, qui hac in parte præiverint.

(l) Frustra quis obloquitur, cognitionem sui a virtute hac magis hominem abstrahere, quam ut ad eandem invitare queat. Sed dubium hoc præsentens, cognitionem sui propterea non de viribus modo intellectus humani concepi, verum imbecillitates eius simul adieci. Ita utrarumque instituta comparatione de viribus suis non insolescet, nec in imbecillitate sua desperabit virtutis intellectualis cultor. Sed pro viribus suis ad scientiam, opinionem, similesque virtutes, intellectum suum excitabit. E contrario habita imbecillitatis suæ ratione tam in divinis, quam arcanis quousque ea penetrare nequit, rationem suam captivabit. Qua ratione & Seneca cognitionem sui, præcepisse in libr. de consolat. cap. XI. & Gerhardus Io. Vosius in libro de cognitione sui, una cum DN. Præside in Diss. Theologic. de cognitione fidei & Christi in nobis, in præfat. commendasse videntur.

(m) Inlitum est mortalibus vitium, se suaque admirandi, nemo non benignus est sui iudex. Sed hanc ob causam maior adhibendus est rigor in censura sui, quem ipse Seneca in L. 2. de benefic. cap. 36. inculcat: Te ipsum inquit coargue, inquire in te, accusatoris primum partibus fungere, deinde iudicis, novissime deprecatoris.

(n) Quas

(n) Quas cordatissimi mortalium de his passim querelas moverunt, meum non erit, in præsentem enarrare. Neque iniuria conquesti sunt, quia talis *heterodoxus* scriptor omnium horarum *seductor* est, & post mortem quoque suam *delinquit*, in libris *occasione seductionis* permanente.

§. V.

Removentur quoque hæc *impedimenta* partim adhibita in *cognitione sui* diligentia (o); partim *sobrio* de rebus singulis *iudicio* (p), partim *abstinentia* a libris, qui magis *seducunt*, quam *docent*.

(o) Qua de causa Plato in *Philebo* triplicem in homine accusasse dicitur *ignorantiam sui*, ut in *anima*, in *corpore*, & in *opibus*: adeoque ei triplicem *sui notitiam* opponendam esse, censuit. Quarum prima hac præcipue spectat, quæ ex *Logica pro intellectu*, ex *Ethica pro voluntate* homini quandam conciliat *notitiam sui*, ut intelligat, *ubi nihil valet, ibi nihil velit*, sed *captiva ratione ducta* acquiescat. Altera, quæ ex *Physica* dependet, unde homo acquirit *corporis sui notitiam*, cuius rationem habere debet, quo in *corpore sano* virtutibus *intellectualibus* mens sana vacare possit. Tertia ex *Politica*, aut etiam *oeconomica*, petenda est, quæ *ad notitiam status sui* quemque adducit, ut in erogandis & acquirendis opibus homo moderatum se gerat. Quarum prior *proxime* huc pertinet, posteriores duo gradus in *notitia sui*, remote tantum, conducunt huic argumento.

(p) Maxime ab iis desideratur, qui aliorum *seducti ambitione*, varias de rebus *divinis* opiniones protrudere consueverunt, aut sibi *dedecori* ducunt, de *arcanis Principum* non verba fecisse. Quos tamen scire oportuisset, *abditas* Principum cogitationes, & si quid his *occultius* agant, exquirere velle, hoc non *illicitum* modo & *periculosum* fore, sed *eventu etiam destitutum*, ne id ipsum adsequantur ut §. I. not. (c). dictum. De utroque casu digna est, quæ huc transferatur Diodori Tuldani admonitio in *Dissertat. Socratic. VII. p. 107.* dicentis: *continendus est spiritus complexu suo, omnia capturus, & cum quantum potuit, intellectu comprehendit, plus esse, quod comprehendere non potest, intelligat, & quod intentione mentis rimari nequit, submissione animi mirari & venerari inordescat.*

§. VI.

§. VI.

Tandem *signa captivationis* huius, quæ in *ratione* nostra accidit, in medium producenda sunt. Quibus in intellectu *admiratio*, quæ erga res *ignotas* (q) ac *insolitas* (r) advertitur, in voluntate *veneratio* (f), quippe quæ res sublimes comitatur, in docendi methodo, *circumspectio*, ne quidquam *tumide* (t), aut *temere* (u), de *DEO* rebusque *divinis*, vel *Principum arcanis*: illic differatur, hic eliminetur.

(q) Talis enim *ignorantia* velut agnitio est atque confessio *incapacitatis* nostræ in rebus cognoscendis, vel quia intellectus nostri *captum* excedunt §. I. not. (c) ut *mysteria*, vel quia propter *impedimenta externa* sciri nequeunt, ut *propagationes* ac *migrationes* singularum gentium.

(r) Hinc *perfectio in se* non excitat *admiracionem*, sed *summus* eius ac *insolitus* gradus. Si omnes enim æque *perfecti* essent, unus alterum non *admiraretur*. Inde est, quod plurimi *doctorum* in aliorum *refutatione* in dies occupentur, ut aliquam *sui admiracionem* conciliare possint. Ab imperitis etiam, quorum maxima turba esse solet, ceteris *perfectiores* esse videntur, cum semper in aliis offendant, quod reprehenderent. Quam ob rem sæpe *ex causa fatua* nascitur *adplausus*.


(f) Indubitatum est, *venerationem* sequi in *voluntate* nostra de omnibus, quæ *supra nos* sunt, *captumque nostrum* excedunt. Deinde si res *consuetæ* propterea nos in *admiracionem* rapiunt, cum ipsarum *causæ* ignorantur, multo magis res *sublimes* *veneratione* prosequi, cuius conveniet. Nescio igitur, an *Henricus Alstedius* *Encycloped. Lib. XXV. S. 2, f. 2313.* in his *curiositatem* hominum compescere opus habuerit, *deficiente* quodammodo huius *virtutis* materia vid. §. I. not. (c). Nempe quod non sollicitum esse oporteat, de *cibo piscium marinorum*, qui fallit in *piscatoribus marinis*: de *conversione ventorum*, quæ non procedit in *nautis*: de *administratione alienæ domus*, data instantia a *tutore* aut *curatore* elidipotest: de *consilio potentum*, nisi quis sit *membrum e sanctiore ipsorum senatu*: de *gubervatione divina*, quæ *explicationem* a *viris Theologis* requirit.

(c)

(t) Quare summo commendari opere meretur D. Io. Wolffgan-
gi Textoris in *Tr. de vera & varia raatione status Germaniae cap.*
XXI. p. 585. expressa sententia, adhortationem *sacrae pacis* inter
disidentes in religione Christianos hanc suppeditantis: *quod in-*
tellectus viatoris in Patria aliquando dubio procul multas visurus
sit consequentias, quae ipsae pro tempore & statu viae cum la-
teant.

(u) Sedulo itaque cavendum est, ne petulanter circa *naturam &*
gubernationem DEI disputetur. Præterquam enim quod sum-
mam, quam DEO debemus, *venerationem* lædit, ita ex-
inde nihil sequitur aliud, quam ut DEum exigere veli-
mus ad *modulum rationis nostrae*, quæ tamen eo casu, de
quo loquimur, *captivanda* est. Neque propterea calcu-
lam merentur illi, qui *DEI miracula* pro *atheorum* conver-
sione fieri postulant, ac si *opera ordinaria* huic negotio neu-
tquam sufficiant. Conf. Baco Verulamius in *Fidel. Serm.*
XVI. Minime vero ad rem facit, DEum ad *propagatio-*
nem veræ religionis tam inter *Iudeos*, quam *Christianos mi-*
raculis usum fuisse. Sane factum hoc est, præter imbecil-
les in *fide*, ut confirmentur, & ob persecutores fidelium
ut convincantur. Verum *atheï* sunt ex numero eorum, qui
extreme sunt *increduli* vid, *Cap. IV. §. III. not. (b).* nec ad-
mittunt aliquam *DEI potentiam*, quam infensissimi tamen
veræ religionis persecutores admiserunt, totique in eo sunt,
ut quæ ad *naturæ ordinem* pro abstruenda *DEI existentia in-*
venta sunt, impugnent ac reiiciant, tantum abest, ut ea,
quæ *supra naturæ ordinem* fiunt, reci-
pian & admittant.

SOLI DEO GLORIA.



K

NOBI

NOBILISSIMO ATQVE CLARISSIMO
DOMINO CANDIDATO

S. P. D.

PRÆSES

Mortalium nullus erit,
quin existimet, factis, non
verbis omnem perfici doctri-
nam. Cum primis si secum
perpenderit, quod facta ad
usum deducant. Docentium igitur interest,
ut, quid ex usu sit futurum, doceant suos.
Noti sunt, qui pollicitis divites, cuilibet do-
ctrinam suam obtrudunt, fama, quam usu
notiorem. Sed melior Philosophiæ veræ
tam doctori, quam cultori sedeat animus.
Facere, non dicere: ille doceat, hic discat.
Hoc enim modo uterque finem suum, quem
maxime intendit, consequetur. Ne in ani-
ma sola tranquillitate perfruatur, sed magnam
quoque Reipublicæ præstet utilitatem. Ve-
reor tamen, ut hoc potiri scopo possit,
quis-

quisquis Philosophorum fuerit, nisi scientiam suam cum bonis moribus coniungat. Ut doctrina Philosophi stat de scientia, ita eius auctoritas constat ex vita. Si igitur virtutem habet, recte putat, se omnia habere. Sin vitium in aliquo advertit, non male iudicat, quod his, quantis etiam floreat divitiis ac deliiciis, ne quidem semetipsum teneat. Ita nemine refragante censet, talem esse tot dominorum servum, quot vitiorum. Ecquis vero mortalium non est servus, ubi omnes timori serviunt? Atqui in hoc haut exiguum operæ suæ pretium Philosophus collocat, quoties in timore illo occupatus est. Moderatur hunc, ubi timore digna occurrunt, expellit, ad quem res levis, aut vanâ impulit opinio. Quo superato adfectu, non otia agit, sed reliqua, quæ proposito suo obstare videt, vitia adgreditur. Nullam indulget voluntati libertatem, nisi quam virtute sibi comparavit. Neque discipulis permittit de acquisita gloriari veritate, nisi quæ ad usum pertinet totius generis humani. In parte felicitatis suæ ponit, honorem mereri & spernere. Philosophus namque id mune-

ris præstat doctrinæ suæ cupido, quod speculum deformi; quod Medicus ægroto. Nam Philosophia vera, intercedente sui cognitione non vires minus, quam vitia sive animæ sive corporis repræsentat. Quarum illas excitare & augere; hæc quibuscumque remediis depellere pro modulo suo conatur. Hinc a Philosopho, non commiseratio, sed consolatio utique expectanda est. Pluribus hæc persequi, mihi non deficit animus. Sed cum in disputatione ipsa paullo uberius tradita fuerunt singula, iisdem immorari ne libet, nec licet. In illa speculum ostenditur, quo non tam virtutes, quæ ornant, quam vitia, quæ onerant intellectum humanum, exhibentur. Ubi hæc faciem eius corruperunt, ibi remedia præscribuntur. Ex diverso quoties conspiciendæ se virtutes offerunt, ne hisce inspectis, quis insolescat, a latere adiecta fuerunt impedimenta. Quamvis de universa Philosophia in ea non agatur, sed de exulibus quæ Logicæ, tamquam patriæ suæ, restituuntur; nihilominus e singulis illius partibus non pauca delibantur, quorum usus sive ad animi tranquillitatem, sive ad Reipublicæ

com-

17

commodum conducit. Præcepta, quæ proponuntur, ita comparata sunt, ut in opera converti queant. Timor non augetur, sed temperatur. Nam vitia ac pericula non demonstrantur, nisi parata adversus ea suppetitata fuerint remedia. Libertas sentiendi ita concessa est, ut tamen in licentiam abire nequeat. Scientia commendatur, sed non alia, quam ad usum vitæ undique applicata. Laudatur opinio tuta magis, quam communis, ut eo facilius errandi periculum vitetur. Fides probatur, quæ cum ratione etiam coniuncta est. Inter virtutes locata est captivatio rationis, in iis, quæ supra eius captum existunt. Pars enim sapientiæ est, ne plus quisque sapiat, quam necesse est. Sic Tibi, CLARISSIME IUVENIS in speculo mecum intueri placuit, quæ officia sint veri Philosophi, quem bona magis conscientia, quam fama oblectat. Quare interest Tua, ut, quæ in eo huc usque conspexisti, opere ipso exprimas. In primis vero Tibi persuasissimum habeas, quod præcepta Philosophiæ facilius tradantur, quam præstentur. Vale Dab, Calend, Novemb. MDCCXX.

CLA-

CLARISSIMO ATQUE DOCTISSIMO
DOMINO CANDIDATO,
AMICO SVAVISSIMO

S. P. D.

M. IOH. GEORG. Francke.

R. Min. Senior & Archi-Diaconus.

Quoties ex sacro suggestu verba Te facere
singulari facundia, non sine auditorum
applausu, audivi, toties veneratus sum
Numen supremum, ut majora in dies in-
crementa in veritatis divinæ agnitione & salutari
ejus praxi concedat. Et dum cathedram jam acade-
micam adscendis, in qua nuper admodum cum lau-
de stetisti, pro acquirendis summis in philosophia
honoribus disputaturus, non possum non pro eo,
quo Te complexus semper affectu, sincera mente
gratulari & vota, quæ tacitus pro felici studiorum
Tuorum successu feci, publice nunc exponere.
Gratulor itaque, Vir clarissime, de labore eruditif-
simo, quo publicum profectuum. Tuorum speci-
men ostendis, gratulor de honoribus, quibus cum
laude nunc exornaris, DEum vero bonorum o-
mnium auctorem precor, ut hæc in Te collata bo-
na gratia sua ita adaugeat, quo fructus eorum
uberrimo lætissimoque proventu in Ecclesiam se
diffundat. Perge, Amice suavissime, & pleno ad
virtutem gradu cum DEO porro contende, ita nul-
lus dubito, quin DEO grata, Ecclesiæ utilia, & PA-
RENTI OPTIMO (cui de novis filii honoribus ex
animo gratulor) læta sis ac commoda laturus. Scri-
beb. ex museo X. Cal. Nov. A. O. R. MDCCXX,

78

coll. diss. A. 106, misc. 53